cdb 78

Digitized by Google

Digitized by Google

SACERDOTIS
ALLOQUIA
AD DEUM,
ET
DEIPARAM VIRGINEM

EX PATRIBUS EXCERPTA,

Ac in ſingulos menſis dies diſtributa

A P. FULGENTIO MARIA RICCARDI

A TAURINO

Ord. Min. Reg. Obſ. Provinciæ D. Thomæ Apoſt.

Ergo legens, compone mentem ad ea, quæ dicuntur.
Chryſoſt. Expoſit. in Pſ. 144.

TAURINI MDCCLXXIX.

Apud Cajetanum Balbinum Bibliopolam
prope Turrim.
Superiorum permiſſu.

Legas, ut diligas Deum, ut pugnes, & vincas mundum.

In lib. Medit. incerti Auct. int. Op. S. Bernardi cap. 17.

Google

PRÆFATIO.

QUoniam in medio laqueorum poſiti ſumus, facile a cæleſti deſiderio frigeſcimus. Quapropter aſſiduo indigemus monimento, ut expergefacti ad Deum noſtrum verum, & ſummum bonum, cum defluimus, recurramus. Idcirco huic Opuſculo ad laudem ejus operam dedi, ... ex cujus lectionis igne, quoties *tepeſcitis*, in ejus *accendamini* amorem (1). Nihil enim æque ad virtutem promovet, atque cum Deo aſſidue verſari, & colloqui, eique perpetuo gratias agere (2). Caput omnis boni ſtudii, & vertex operum bonorum aſſiduitas orationis eſt, per quam in aliorum poſſeſſionem bonorum inducimur, eo qui nos ad ea vocat, manum cooperatricem porrigente (3). Petite de Patre, petite de Domino, peculia, gratias, diſtributiones

A 2 cha-

(1) *S. Anſelmus in Prologo Medit.* 14.

(2) *Chryſoſt. expoſit. in Pſ.* 7.

(3) *S. Macarius Magnus lib. de Oratione in tom.* 7. *Biblioth. PP. a Gallandio editæ.*

chariſmatum ſubjiciente, petite, & accipietis ... Tantum oro, ut cum petitis, etiam *mei* peccatoris memineritis (4). Hanc *exiguo* labori meo vicem *impendite*: ut apud Salvatorem meum, ... apud Remuneratorem meum, quem expecto, apud Judicem meum, quem timeo, pro peccatis meis *intercedatis* (5). Nec injuſtum, puto, eſt deſiderium, quo tantum *mihi* poſtulari *poſtulo* pro ſalute, quantum ipſe *opto vobis* pro caritate (6). Omnipotens enim ſcit Dominus, quod prompta erga vos caritate iſta vobis profero ... Vos ergo non pro mea parvitate, ſed pro veſtra quæ *ex Patribus collegi* ſalute libenter ſuſcipite; ita duntaxat, ut quæ *legitis*, opere compleatis: ut & ego de meo obſequio, & de veſtro profectu merear vobiſcum gaudere in cæleſti regno (7).

(4) *Tertul. de Baptiſmo num.* 20.
(5) *Auctor Libri de Vita Eremitica inter Op. Aug. in Append.*
(6) *Salvian. Maſſil. epiſt.* 9. *ad Salon. Epiſc.*
(7) *In Tract. de Rectitudine Catholicæ converſationis inter Op. Aug. in Append.*

DIE PRIMA MENSIS.

SACERDOS

I.

Confeſſionis ſacrificium Deo offert.

RECordari volo tranſactas fœditates meas, & carnales corruptiones animæ meæ; non quod eas amem, ſed ut amem te, Deus meus. Amore amoris tui facio iſtud, recolens vias meas nequiſſimas in amaritudine recogitationis meæ, ut tu dulceſcàs mihi, dulcedo non fallax, dulcedo felix, & ſecura (1). Bonum eſt confiteri tibi, Domine, & dicere: *Miſerere mei, cura animam meam, quoniam peccavi tibi* (*Pſ.* 40.) (2). Accipe ſacrificium confeſſionum mearum de manu linguæ meæ, quam formaſti, & excitaſti, ut confiteatur nomini tuo (3). Ecce vulnera mea non abſcondo (4), coram te non defendo, ſed

(1) *Aug. lib.* 2. *Confeſſ. cap.* 1. (2) *Id. lib.* 4. *Confeſſ. cap.* 3. (3) *Id. lib* 5. *Confeſſ. cap.* 1. (4) *Id. lib.* 10. *Conf. cap.* 28.

ſed oſtendo: non excuſo, ſed accuſo. Ego ſum reus, ego ipſe ſum accuſator meus. Non accuſes me qui feciſti me. Solus ſuffeci ad peccandum; ſolus ſufficiam ad accuſandum (5). Confitebor tibi peccata mea, cui omnia nuda ſunt, & etiam aperta: quem fallere non poſſum, quia ſapientia es: nunquam effugere, quia ubique es. Audi ergo, piiſſime Deus, confeſſionem meam, & reſpice ad pietatem tuam (6).

I I.

Recogitat Deo annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ.

Confiteor tibi, Domine Pater, Rex Cæli, & terræ, miſeriam meam, ut me venire liceat ad miſericordiam tuam (7). Tibi, Domine, pando cordis mei ſecreta, tibi confiteor omnia peccata mea, tibi denudo fœditatem cordis mei, tibi detego ſordes turpitudinis meæ (8). Ego infelix, ego totius innocentiæ, totius ſanctimoniæ gratiam perdidi; ego templum Dei ſanctum multipliciter violavi (9). Peccavi, inique egi, deliqui, irritavi, & exaſpe-

(5) *Lib. de Contritione cordis incerti Auct. inter Op. Aug. cap. 9.* (6) *Lib. de Conſcientia incerti Auct. inter Op. S.Bernardi* (7) *Lib. Soliloquiorum animæ ad Deum incerti Auct. inter Op. Aug. cap. 5.* (8) *S. Anſel. Cantuar. in lib. Orat, or. 1.* (9) *Id. orat. 49.*

aſperavi *te* bonum meum Dominum, nutritorem, curatorem, ... ac cum ſæpe me pœnitentiam acturum promiſiſſem, toties in eadem mala incidi (10). Vulnera vulneribus inflixi, quia ſcelera addere ſceleribus non timui .... Quoties ut canis redii ad vomitum, & quaſi ſus repetii luti volutabrum (11)! Heu me, qualem me feci! qualis eram! Deus, qualem me feciſti, & qualem me iterum feci! In peccatis eram conceptus, & natus; ſed abluiſti me, ſed ſanctificaſti me, & ego pejoribus ſordidavi me .... Sanaveras, pie Deus, animam meam a parentibus vulneratam; ego impius interfeci ſanatam .... Indueras me veſte innocentiæ, ... & ego illa rejecta, quam dediſti, operui me ſordibus nequitiæ ... Filium iræ tuæ feciſti filium gratiæ tuæ; & ego illa contemta feci me filium odii tui (12). Tu miſericors ad operandum mihi animæ meæ ſalutem membra ſingula humanis uſibus apta dediſti; ſed ego miſerrimus omnium, & peccator te æternæ ſalutis amatorem contemſi, & æterna mihi incendia inimico præparanti conſenſi; lapſus ſum in peccatis, corrui in delictis, in membris ſingulis vere modum exceſſi, & impiis me laboribus obnoxium feci (13). Heu mihi, qualis vixi, quanta mala feci, & dixi! Pudet qui ſic vixerim, & quod natus fue-

(10) *Incertus Auct. inter Op. Chryſ. tom.* 12. *in Append.* (11) *S. Anſel. orat.* 10. (12) *Idem orat.* 63. (13) *Idem orat.* 8.

fuerim. Mallem non eſſe, quam talis eſſe. Bonus eram, & malum me feci. Utique qui ſponte me feci miſerum, juſtum eſt ſemper eſſe miſerum. Conſcientia mea mœretur damnationem: pœnitentia mea non ſufficit ad ſatisfactionem: ſed certum eſt quoniam miſericordia tua delet omnem offenſionem. Dele ergo, pie Domine, iniquitatem meam multitudine miſerationum tuarum (14). Suſcipe, Domine, de mea vita reſiduum annorum meorum: pro his vero, quos male vivendo perdidi, quibus perdite vixi, cor contritum, & humiliatum, Deus, ne deſpicias (15). Deus meus, miſericordia mea, reſpice ad pœnitentiam meam, reſpice ad pietatem tuam: ſuſcipe confeſſionem meam, & fac mecum ſecundum miſericordiam tuam (16). Erue, Domine, erue de tantis malis ſervum tuum .... Parce, Deus, parce peccatori tuo: ... prævenit me gratia tua, ſubſequatur me miſericordia tua ... Reforma faciem, quam fœdavi; reſtaura innocentiam, quam violavi. Qui abſtuliſti peccata, quæ attuli naſcendo, tolle peccata, quæ contraxi vivendo (17). Jeſu, cui inique peccavi; Domine, quem nequiter contemſi; omnipotens, cujus iram ſuperbe irritavi; ... benigniſſime, qui nihil odiſti eorum

quæ

(14) *In Tract. de interiori domo cap. 33. incerti Auct. inter Op. Bernardi.* (15) *In Confeſſ. privatæ formula in vet. edit. S. Bernardo adſcripta.* (16) *S. Anſelm. orat.* 4. (17) *idem orat.* 63.

quæ feciſti, ecce quem feciſti, & refeciſti. Cur ergo damnabis, Domine, ſe accuſantem, te invocantem, ſi non odiſti aliquid eorum, quæ feciſti? Fac ergo, bone Domine, ... ne ſis mihi damnator, quia tu ſolus es Salvator (18). Tibi, Domine, ſupplices preces, tibi fletum cordis effundo. Tu parce confitenti; ut ſic in hac mortalitate, te adjuvante, peccata mea defleam, ut in die judicii ſententiam damnationis evadam (19).

III.

Chriſti Redemptoris, & Deiparæ Virginis miſericordiam implorat.

AD te, præpotens, & miſericors Domina, ego peccator, & utique nimis peccator, anxius confugio. Videns enim me, Domina, ante diſtricti Judicis omnipotentem juſtitiam, & conſiderans iræ ejus intolerabilem vehementiam, perpendo peccatorum meorum enormitatem, & condignam tormentorum immanitatem. Tanto igitur, Domina clementiſſima, horrore turbatus, tanto pavore perterritus, cujus enixius implorabo interventionem, quam cujus uterus mundi fovit reconciliationem? ... Numquid tu, Domina mea, Mater ſpei meæ, numquid obliviſceris tu, odio mei, quod mundo tam miſericorditer eſt intimatum, tam feliciter

(18) *S. Anſelm. orat.* 67. (19) *Idem orat.* 1.

liciter divulgatum, tam amanter amplexatum? Ille bonus Filius hominis venit perditum ſalvare ſponte; & Mater Dei poterit perditum clamantem non curare? Bonus ille Filius hominis venit vocare peccantem ad pœnitentiam; & bona Mater contemnet precantem in pœnitentia? Ille, inquam, bonus Deus, mitis homo, miſericors Filius Dei, pius Filius hominis venit quærere errantem peccatorem; & tu bona Mater ejus, potens Mater Dei, repelles miſerum orantem? Ecce enim, o Virgo, ... ecce coram bono Filio tuo, & coram bona Matre ejus pœnitet, & confitetur, gemit, & orat peccator homo. Obſecro ergo vos, bone Domine, & bona Domina; obſecro vos, pie Fili, & pia Mater; obſecro vos per hanc ipſam veritatem, per hanc ſingularem ſpem peccatorum, ut ſicut vere tu es Filius ejus, & tu Mater ejus, ut ſalvetur peccator, ſic ſic abſolvatur, & curetur, ſanetur, & ſalvetur hic peccator. Probet in ſe, probet hic veſter peccator, quia vere eſtis; ſentiat in ſe, quia propter ſalutem peccatorum eſtis tu Filius, & tu Mater. Veſter certe amborum peccator. Quum enim peccavi in Filium, irritavi Matrem, nec offendi Matrem ſine injuria Filii ... Sed etſi ambo pariter offenſi eſtis, nonne & ambo clementes eſtis? ... Pie Domine, parce ſervo Matris tuæ. Pia Domina, parce ſervo Filii tui. Bone Fili, placa Matrem tuam ſervo tuo. Bona Mater, reconcilia

cilia ſervum tuum Filio tuo. Qui me injicio inter duas tam immenſas pietates, non incidam in duas tam potentes ſeveritates... Salvator ſingularis, dic quem ſalvabis? Salutis Mater, dic pro quo orabis? ſi te, Domine, præcipiente, & te, Domina, conſentiente, tormenta vexant peccatorem ſe execrantem; vos obſecrantem; ſi infernus abſorbet reum ſe accuſantem, vos deprecantem; ſi tartara devorant pauperem in ſe deſperantem, in vobis ſperantem. Deus, qui factus es filius fœminæ propter miſericordiam; fœmina, quæ facta es Mater Dei propter miſericordiam, aut miſeremini miſeri, tu parcendo, tu interveniendo; aut oſtendite ad quos tutius fugiam miſericordiores... Si enim eſt, immo quia eſt tam magna mea iniquitas, & tam modica fides mea, tam tepida charitas mea, tam fatua oratio mea, tam imperfecta ſatisfactio mea, ut non merear delictorum veniam, nec ſalutis gratiam; hoc eſt ipſum quod ſupplico, ut in quo merita mea mihi videtis non ſufficere, in eo miſericordiæ veſtræ dignentur non deficere. Precor itaque, precor, exaudite me, ſed propter vos, non propter me, per pietatem, qua exundatis, per poteſtatem, qua abundatis, ut evadam meritos dolores damnatorum, & intrare merear in gaudia Beatorum, te Deum laudaturus, qui es benedictus, & ſuperlaudabilis in ſæcula ſæculorum. Amen. (20).

(20) *S. Anſelmus in lib. Oration., orat. 51.*

DIE II. MENSIS.

I.

Variis pœnitentiæ affectibus ex Scripturæ excerptis vulnera animæ deflet.

QUis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum (*Jer.* 9.), ut defleam vulnera animæ meæ? Converſi ſunt dies feſti mei in luctum, & cantica in lamentationem (*Amos* 8.); receſſit ſonus hymnorum, & lætitia pſalmorum, & ſucceſſit ſtridor dentium, & fletus oculorum. *Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui a bonis, & dolor meus renovatus eſt. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis* (*Pſ.* 38.). *Timor, & tremor venerunt ſuper me, & contexerunt me tenebræ* (*Pſ.* 54.) ... Heu me, quia *factus* ſum ſicut Sodoma, & *combuſtus* ſicut Gomorrha, quis miſerabitur cineres meos? Durius offendi quam Sodoma; quia illa legem neſciens, deliquerat, ego autem, accepta gratia, peccavi Domino. Si homo peccet in hominem, erit qui interveniat: ego peccavi in Dominum, quem propitiatorem inveniam? Concepi dolorem, & peperi iniquitatem: lacum aperui, & effodi eum, & incidi in fo-

veam

veam, quam operatus ſum. Ideo converſus eſt dolor meus in caput meum, & in verticem meum iniquitas mea deſcendit (*Pſ.* 7.). Immunditia mea ante pedes meos: non fui memor noviſſimorum, & cecidi miſerabiliter... Deletum eſt de libro vitæ nomen meum, *factus* ſum ſicut noctua in domicilio, ſicut paſſer unicus in ædificio (*Pſ.* 101.), non eſt qui conſoletur me... Lugete me montes, & colles, lugete me fontes, & flumina, quia fletus *filius* ego ſum. Lugete me beſtiæ ſilvarum, reptilia terræ, & volucres cæli, & omnis anima, quæ vita frueris... Meum peccatum, mea iniquitas non ſunt ſimilia offenſis hominum; quia impietas eſt... Mentitus ſum Domino; ideo non eſt mihi fiducia invocandi Dominum altiſſimum, quia obſtructum eſt os delinquentium... Verumtamen clamabo ad Dominum, cum adhuc tempus eſt, dum datur ſpatium; quia in morte non eſt memoria, & in inferno non eſt confeſſio. *Domine, ne in ira tua arguas me, neque in furore tuo corripias me. Quoniam ſagittæ tuæ infixæ ſunt mihi, nec eſt ſanitas in carne mea a vultu iræ tuæ: non eſt pax oſſibus meis a facie peccatorum meorum... Cor meum turbatum eſt intra me, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum non eſt mecum* (*Pſ.* 37.). Deus, repuliſti me, & deſtruxiſti me, oſtendiſti mihi dura, potaſti me vino compunctionis (*Pſ.* 59.): expulſus ſum ab oculis tuis, jam non adjiciam, ut reſurgam ad

ad templum ſanctum tuum, & factus ſum in exterminio. *Quæ utilitas in ſanguine tuo, dum deſcendi in corruptionem* (*Pſ.* 29.)? *Numquid mortuis facies mirabilia, aut medici ſuſcitabunt* (*Pſ.* 87.)? Tuus ſermo eſt, tua promiſſio eſt: *Nolo mortem peccatoris, ſed converſionem, & vivat* (*Ezech.* 33.): ad te, Deus meus, mea converſio; quia ſolus potes renovare omnia, & ab inferis animas revocas. Tu ſolvis compeditos: tu, Deus, alliſos erigis, cæcos illuminas, mortuos ſuſcitas (*Pſ.* 145.). *Erravi ſicut* ovis perdita (*Pſ.* 118.): require *famulum tuum*, ne lupus crudelis glutiat me. *Multi dicunt animæ meæ: non eſt ſalus illi in Deo ejus* (*Pſ.* 3.). Sed tuum conſilium tecum eſt. Quot ſunt dies *famuli tui*, quando facies mecum judicium (*Pſ.* 118.)? Sed ne intres in judicium cum *famulo tuo* (*Pſ.* 142.)... *Vide humilitatem meam, & laborem meum, & remitte omnia peccata mea.* (*Pſ.* 24.). *Remitte mihi ut refrigerer, priuſquam abeam, & amplius non ero* (*Pſal.* 38.)... Potens es, Domine, conſcindere ſaccum, & præcingere me lætitia (*Pſ.* 29.): dirumpere vincula mea, quibus ligatus ſum, atque conſtrictus... Iram tuam, Domine, aufer a me, quia peccavi tibi crudeliter, donec juſtifices cauſam meam, & educas me in lumine. Deus virtutum, da pœnitentiæ effectum, confeſſioni perſeverantiam, ne me induret deceptor animæ. Hoc mihi donum, hanc mihi gratiam de tuo fonte præſtari

ſtári cupio, Deus, ut in æternum tibi confitear, qui vivis, & regnas in Trinitate in ſæcula ſæculorum (21).

I I.

Divinum expoſtulat auxilium adverſus carnis concupiſcentias.

NOn ſit in me, obſecro Domine, concupiſcentia libidinis, ſed amor pulcherrimæ caſtitatis... Sanctum ſemper opus in me ſpira ut cogitem: compelle ut faciam... Da menſuratam abſtinentiam, qua ſuperflua ventris refrænetur edacitas; ... da caſtitatem cordis, quæ me impollutum reddat (22). Robora me cæleſti fortitudine, ne vetus homo, miſera caro, ſpiritui necdum plene ſubacta, prævaleat dominari (23.). Adhuc, proh dolor! vivit in me vetus homo, non eſt totus crucifixus, non eſt perfecte mortuus. Adhuc concupiſcit fortiter contra ſpiritum, bella movet inteſtina, nec regnum animæ patitur eſſe quietum. Sed tu, qui dominaris poteſtati maris, & motum fluctuum ejus mitigas, exurge, adjuva me. Diſſipa gentes, quæ bella volunt, contere eas in virtute tua: oſtende, quæſo, magnalia

(21) *Ambroſ. in lib. de lapſu virginis conſecratæ cap.* 10. (22) *Paulinus Aquilej. in lib. Exhortationis ad Henricum Ducem Forojul. cap.* 66. (23) *Kempis de Imit. Chriſti lib.* 3. *cap.* 20.

gnalia tua, & glorificetur dextera tua (24). Pugna fortiter pro me, & expugna malas beſtias, concupiſcentias dico illecebroſas, ut fiat pax in virtute tua, & abundantia laudis tuæ reſonet in aula ſancta, hoc eſt, in conſcientia pura. Impera ventis, & tempeſtatibus: dic mari, Quieſce; & aquiloni, Ne flaveris; & erit tranquillitas magna (25). *Ure renes meos, & cor meum* (*Pſ.* 25). Ure delectationes meas, ure cogitationes meas,... ne aliquid mali cogitem, ne aliquid mali me delectet. Unde autem ures renes meos? igne verbi tui. Unde ures cor meum? calore ſpiritus tui (26). Hæc velim, o Jesu Salvator bone, Redemptor optime, hæc velim, quæ hucuſque nunc ſupplicando *deprecatus* ſum: hæc & hæc deprecor, quia pretioſiſſimo ſanguine tuo redemptus ſum, ut propter carnis corruptionem non peream in æternum: non veniam in mortem ſecundam, neque in terram oblivionis. Hæc vox mea in auribus miſericordiæ tuæ ſonet, ut tuam, non carnis faciam voluntatem: & omnis mens mea te meditetur, in te delectetur, te ſequatur, te confiteatur (27).

III.

(24) *Idem lib.* 3. *cap.* 34. (25) *Idem lib.* 3. *cap.* 23. (26) *Aug. Enar.* 2. *in pſ.* 25. (27) *Paulinus Aquilej. loc. cit.*

Ne animæ hoſtes rurſus vincant, Virginis Mariæ ſubſidium Pſalmiſtæ verbis ſibi comparat.

MIſerere mei, Domina, & ſana infirmitatem meam: tolle dolorem & anguſtiam cordis mei. Reſpice paupertatem meam, glorioſa Virgo: miſeriam, & anguſtiam meam ne tardes removere. Miſerere mei de cælis, & de altitudine throni tui; & ne permittas me in valle miſeriæ conturbari. Ne tradas me manibus inimicorum meorum, & in die mortis meæ conforta animam meam. Si perſequatur inimicus animam meam, adjutorio tuo conforter, ne vibret gladium ſuum contra me. Domina mea, in te ſperavi: de inimicis meis libera me, Domina. Conclude ora leonis, & dentes ejus: labia perſequentium conſtringe. Non moreris propter nomen tuum facere mihi miſericordiam tuam. Propter honorem nominis tui, Domina, propitietur *mihi* fructus glorioſi ventris tui. De porta inferi, & de ventre abyſſi tuis ſanctis precibus libera *me*. Deduc me ad portum ſalutis, & ſpiritum meum redde Factori, & Creatori meo. Aperiantur mihi januæ ſempiternæ, ut enarrem in æternum mirabilia tua. Quia non mortui, neque qui in inferno ſunt, laudabunt te, Domina, ſed qui tua gratia vitam æternam obtinebunt (28).

DIE III.

(28) *Ex variis locis Opuſculi S. Bonaventuræ, quod inſcribitur: Pſalterium B. M. V.*

DIE III. MENSIS.

I.

Unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate confitetur, adorat, & precatur.

SUmma Trinitas, virtus una, & indiſcreta Majeſtas, Deus noſter, Deus omnipotens, confiteor tibi, ... & honorifico te debito ſacrificio laudis ... Et quia exteriora mihi munera deſunt, quæ poſſim offerre, ea quæ in me ſunt vota laudationis ex dono miſericordiæ tuæ ecce libens, atque ovans offero tibi de fide non ficta, & conſcientia pura. Credo igitur te toto corde, Rex Cæli, & terræ Domine, & ore te confiteor Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, in perſonis trinum, & in ſubſtantia unum, verum Deum omnipotentem (29). Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, o beatiſſime Pater Majeſtas æterna: quia me per tuam infinitam potentiam de nihilo creaſti, te laudo, te glorifico, tibi gratias ago. O beatiſſime Fili, claritas paterna, quia me per tuam æternam ſapientiam de æterna morte liberaſti, te bene-

dico,

(29) *Lib. Medit. incerti Auct. inter Op. Aug. cap.* 12.

dico, te ſanctifico, te adoro. O beatiſſime Spiritus alme, quia me per tuam benedictam pietatem, & clementiam de peccato ad gratiam, de ſæculo ad vitam religioſam, de exilio ad patriam revocaſti, te benedico, te adoro (30). Rogo te, immenſa pietas, Deus Pater omnipotens, ne perdas me creaturam tuam ad tui ſimilitudinem conditam, ac pio Filii tui Domini mei Jeſu Chriſti cruore redemptam. Porrige mihi manum tuam, Domine Deus meus, & eripe me de profundiſſimo lacu iniquitatum mearum. Erige lapſum, ſolve compeditum, illumina cæcum ... Vide, Domine, miſeriam meam, ... mihique compunctionis gratiam tribue, quæ ... meorum criminum valeat inquinamenta lavare ... Tu me converte, Deus ſalutaris meus, tu illumina animam meam, tu dirige, tu in me flammam tuæ dilectionis accende ... Veni Domine Jeſu, veni dulcis habitator in me ... Dedica me undique templum tuum, quia tu es Deus meus, & Dominus meus ... Deſcende in me, vivificator æterne, meique pectoris glaciem flamma tuæ charitatis accende ... Veni, quæſo, benedicte Spiritus veritatis, & omnes meorum viſcerum venas intimus ſcrutator ingredere .... Anima mea ad tuum liqueſcat adventum, cæleſtem virtutem per te renovata concipiat, ad ſui vigoris originem redeat, atque in amorem tuum ſuc-

(30) *S. Bonaventura in Opuſc. de quinque feſtivit. pueri Jeſu, feſtivit. 5.*

ſuccenſis viſceribus inardeſcat.... Adjuva me, Domine, abſolve me, purifica me, munda me, Rex meus, & Deus meus. Da mihi juſtitiam, fortitudinem, temperantiam, & prudentiam. Da mihi perfectam fidem, ſpem, & charitatem. Concede mihi ſpiritum ſapientiæ, & intellectus, conſilii, & fortitudinis, ſcientiæ, & pietatis, & timoris tui. Da mihi irriguum inferius, & irriguum ſuperius. Da mihi benedictionem de rore cæli, & de pinguedine terræ. Mollifica, Domine, lapideum cor meum. Da mihi compunctionem, & contritionem cordis, ut defleam innumerabilia peccata mea (31). Dona mihi, Domine, diligentiam, quæ te quærat; ſapientiam, quæ te inveniat; animam, quæ te agnoſcat; oculos, qui te videant; converſationem, quæ tibi placeat; perſeverantiam uſque in finem, finem perfectum, retributionem æternam (32).

II.

Varia Dei beneficia commemorat, & pro ſingulis gratias agit.

DOmine Deus meus, magnus, & terribilis, & glorioſus, omnis viſibilis, & inviſibilis naturæ Creator, qui ſervas pactum tuum,

(31) *Ex Orat. S. Petri Damiani, quæ exſtat Tom. 4. Operum ejuſd.* (32) *S. Anſel. in lib. Orat. orat. 1.*

tuum, & miſericordiam tuam iis, qui diligunt te, & cuſtodiunt mandata tua: gratias ago tibi & nunc & perpetuo ob beneficia omnia tam manifeſta, quam occulta, quæ mihi contuliſti ... Laudo, glorifico, & magnifico te, quia mirabilem exhibuiſti erga me miſericordiam, & miſerationem tuam, protegens me ex utero matris meæ, & in omnibus providens mihi, conſervans, & dirigens ea, quæ ad me ſpectant, ex ſola benignitate & clementia tua. Neque enim ob indignitatem, & paſſiones meas deſpexiſti humilitatem meam; ſed ex benignitate, & commiſeratione tua mihi benefaciendi, & providendi finem non feciſti (33). Clementiſſime, & benigniſſime amator hominum Deus, ... gratias ago tibi pro ſancta incarnatione, & nativitate Filii tui, & pro glorioſa Genitrice ejus, de qua ipſe carnem aſſumere dignatus eſt propter nos, & propter noſtram ſalutem ... Gratias tibi ago pro paſſione, & cruce ejus, pro morte, & reſurrectione ejus, pro aſcenſione ejus in Cælum, & ſede Majeſtatis ejus ad dexteram tuam ... Gratias tibi ago pro ſacratiſſima illa effuſione pretioſi Sanguinis ejus, quo ſumus redemti: ſimul & pro ſacroſancto & vivifico myſterio Corporis & Sanguinis ejus, quo quotidie in Eccleſia tua paſcimur, & potamur, abluimur, & ſanctificamur, & unius ſummæ Divinitatis parti-

(33) *Oratio incerti Auct. inter Opera Chryſ. Tom. 12.*

participes efficimur (34). Tibi ago laudes, & gratias, Deus meus, miſericordia mea, qui me ad tuam cognitionem perducere, & per ſacri Baptiſmatis ablutionem inter adoptionis filios aggregare dignatus es. Tibi ago laudes, & gratias, qui me ab ipſis rudimentis infantiæ uſque ad hanc horam per multa defluentem peccata, immenſæ bonitatis tuæ patientia ad emendationem expectas. Te laudo, & glorifico, qui me brachio virtutis tuæ de multis anguſtiis, calamitatibus, & miſeriis frequenter liberaſti; qui me hactenus de æternis ſuppliciis, & de corporis hujus cruciatibus eruiſti (35). Gratias tibi ago, immenſiſſime Domine, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, quia dona mihi collata omnes meas gratiarum actiones in infinitum excedunt. Adjuva me tu ipſe, ut tibi dignas reddam gratias de omnibus beneficiis, quæ continue mihi facis, feciſti, & facturus es (36), de quibus mihi dulce erit ſemper cogitare, ſemper loqui, ſemper gratias agere, ut te laudem, & amem pro omnibus beneficiis tuis (37).

III.

(34) *Lib. Medit. incerti Auct. inter Op. Aug. cap.* 14. (35) *S. Anſelmus in lib. Orat., orat.* 12. (36) *S. Bernardinus de Evangelio æterno ſerm.* 4. (37) *Lib. de diligendo Deo incerti Auct. inter Op. Aug.*

III.

Corpus, & animam ſuam Deo offert.

DOmine, quid tibi retribuam Creatori meo, Gubernatori meo, Redemptori meo? ... Creatori vitam debeo, quam ab illo gratis accepi: Redemptori quoque eamdem debeo vitam, quia ipſe pro me ſuam poſuit in patibulo: Gubernatori etiam meo, qui me paſcit a juventute mea, & gratis me tot deliciis ſuſtentat, eamdem me vitam debere confiteor, quam ejus beneficio poſſideo ... Quid retribuam tibi, Domine, quid retribuam pro omnibus quæ dediſti mihi (38)? Quid agam, quia nil dignum in me reperio aptum dono gratiæ tuæ? Verumtamen bone Pater, cujus ſunt omnia dona bonorum, ſcio quia nullius indiges, & tamen te parva noſtra delectant, ſi ea devote, & ſpontanee tibi videris offerri. Dabo igitur aliquid; & modicum, quod mihi relictum deperire poteſt, amori tuo ſacrificabo... Nunc ergo, ſi digneris accipere, ecce voluntarie meipſum offero, & tuæ diſpoſitioni animam meam, & corpus meum fideliter derelinquo ... Carnis deſideria deſpicio, omnes actus, & nefaria conſilia maligni ſpiritus abjicio; tibi me deſpondeo, tuo adhærere ſervitio cunctis diebus vitæ meæ concupiſco

(38) *S. Thomas a Villan. conc. 3. in Dom. 17. poſt Pentec.*

piſco (39). Scio, Domine, quia ex hoc quod me feciſti, debeo tibi meipſum; & quia me redemiſti, & pro me homo factus es, deberem tibi plus quam me, ſi haberem quanto tu major es, pro quo dediſti te ipſum. Ecce nec plus habeo, nec quod habeo dare tibi poſſum ſine te, ſed accipe me tu, & trahe me ad te, ut tuus ſim imitatione, & dilectione, ſicut tuus ſum conditione, & creatione (40). Totus eram in morte; totum me reſuſcitaſti: & tuum igitur ſit totum id quod vivo. Totus totum me tibi offero: totus ſpiritus, totum cor, totum corpus, tota vita mea vivat tibi, vita mea: quoniam totum me liberaſti, ut totum me poſſideres; totum me feciſti, ut totum me rehaberes. ... Vivat jam non mihi, ſed tibi tota vita mea, quæ perierat in miſeria mea, quæ reſuſcitata eſt in miſericordia tua, qui es Deus miſericors, & miſerator, & multæ miſericordiæ (41).

DIE IV.

(39) *In Append. ad lib. 4. de Imit. Chriſti juxta edit. P. Sommalii*. (40) *Lib. Medit. incerti Auct. inter Op. Aug. cap.* 39. (41) *Lib. Soliloq. Animæ ad Deum incerti Auct. inter Op. Aug. cap.* 18.

DIE IV. MENSIS.

I.

Deum laudat.

LAus æterna Domine Deus meus, a quo omnis laus, ſine quo nulla eſt laus, non valeo laudare te ſine te: habeam te, laudabo te. Quis enim ego ſum, Domine, per me, qui laudem te? Pulvis & cinis ego ſum, canis mortuus & fœtens ego ſum, vermis & putredo ego ſum. Quis ego ſum, ut laudem te, Domine Deus fortiſſime, ſpiritus univerſæ carnis, qui habitas æternitatem? Numquid tenebræ laudabunt lucem, aut mors vitam? Tu lux, ego tenebræ; tu vita, ego mors. Numquid vanitas veritatem laudabit? Tu es veritas, ego homo vanitati ſimilis factus. Quid ergo, Domine, laudabit te? Numquid miſeria mea laudabit te? ... Numquid laudabit te putredo, & filius hominis vermis? Numquid laudabit te, Domine, qui in peccatis genitus eſt & natus? Laudet te, Domine Deus meus, omnipotens potentia tua, .. ineffabilis bonitas tua. ... Laudet te omnipotentiſſima fortitudo tua, ſumma quoque benignitas & caritas tua, propter quam creaſti

nos Domine Deus vita animæ meæ (42). Laudent te Deus noſter in excelſis omnes Angeli tui, omnes virtutes tuæ, ſol & luna, omnes ſtellæ & lumen, cæli cælorum, & aquæ, quæ ſuper cælos ſunt, laudent nomen tuum (43). Laudent te opera tua, ut amemus te, & amemus te, ut laudent te opera tua (44).

I I.

Ad Dei laudes corporis membra, & animam invitat.

DEus meus, ... adoret te, & glorificet, & benedicat omnis interior, & exterior compago mea. Salus mea, lux mea, illuminatio mea, benedicant te oculi mei, quos feciſti, & præparaſti ad contemplandam ſpeciem ſerenitatis tuæ. Dulcedo mea, delectatio mea, benedicant te aures meæ, quas feciſti & præparaſti ad audiendam vocem jucunditatis tuæ. Suavitas mea, recreatio mea, benedicant te nares meæ, quas feciſti ut vivant, & delectentur in odore unguentorum tuorum. Laus mea, canticum meum novum, exultatio mea, benedicat te, & magnificet lingua mea, quam feciſti & præparaſti ut enarrem mirabilia tua. Sapientia mea, meditatio mea, con-

(42) *Lib. Soliloq. inter Op. Aug. in Append. cap.* 10. (43) *Aug. lib.* 7. *Confeſſ. cap.* 13. (44) *Idem lib.* 13. *Conf. cap.* 33.

conſilium meum, adoret ſemper & benedicat cor meum, quod præparaſti, & dediſti mihi ad dignoſcendas inæſtimabiles miſerationes tuas. Vita mea, beatitudo mea, benedicat te licet peccatrix anima mea, quam feciſti & præparaſti ad perfruendum bonis tuis (45). Deus meus, vita mea, fortitudo & laudatio mea, dignare me laudare te. Da mihi lumen in corde, verbum in ore, ut cor meum meditetur gloriam tuam, & lingua mea tota die cantet laudes tuas. Sed quia non eſt pulchra laus in ore peccatoris (*Eccli.* 15.), & quia vir pollutus labiis ego ſum (*Iſ.* 6.), munda, obſecro, os meum ab omni inquinamento. Sanctifica me, Sanctificator omnipotens, interius & exterius, & fac me dignum laudibus tuis. Suſcipe benigne, & acceptabiliter de manu cordis, de mentis amore ſuſcipe ſacrificium labiorum meorum, fiat acceptabile in conſpectu tuo, & aſcendat ad te in odorem ſuavitatis (46).

I I I.

Antiphonam Salve Regina *ſanctis affectibus auctam pie recitat.*

S*Alve Regina*: ſub tuo regimine, Domina, de cætero volo militare: me totaliter do-

 mi-

(45) *S. Anſelmus orat.* 12. (46) *Lib. Medit. incerti Auct. inter Op. Aug. cap.* 33.

minationi tuæ committo, ut me plenarie regas & gubernes ... Sed cum plenus ſim miſeria, & a planta pedis uſque ad verticem putrefactus, putredinem generem, & horrorem, quomodo me regere dignaberis tam nobilis creatura? Certe, quia tu es *Regina miſericordiæ*. Et qui ſunt miſericordiæ ſubditi, niſi miſeri? Sic ergo miſericordiæ Regina es, & ego miſerrimus ſum omnium ſubditorum tuorum, maximus peccator. Quomodo ergo, Domina, in me exercebis tuæ miſerationis affectum? Vere, Domina, Regina es miſericordiæ; quia non eſt in hac vita ſic deſperatus, ſic miſer, cui non impetres ſalutarem miſericordiam, ſi quis ad tuum declinaverit regimen. Certe, Domina, cum te aſpicio, nonniſi miſericordiam cerno. Nam pro miſeris Mater Dei facta es: miſericordiam miſeris genuiſti: ... multum ſollicita es de miſeris, hos in tuos filios adoptaſti, hos regere voluiſti, Domina; & ideo Regina miſericordiæ merito tu vocaris. Tu es *vita*. Vita vere, ... quæ nobis vitam gratiæ impetraſti; quæ vitam gloriæ genuiſti .... O vita, ... ſi vita mea es, cur non ſemper vegetas vitam meam? Quis mihi tribuat ut ſemper gaudeam beneficio hujus vitæ? *Dulcedo*. Vere dulcedo, qua amaritudinem peccatorum impetrando expellis; quæ nobis dulcorem gratiæ acquiris, quæ ad ſuavitatem patriæ cæleſtis contemplantes introducis, & demum ad ipſam poſſidendam adducis.

cis. ... O Domina, quæ rapis corda dulcore tuo; & nunc cor meum, Domina, rapuiſti ... Nunc cor meum non diſcerno a tuo, nec aliud petere ſcio a te, niſi tuum. Sed ex quo ſic eſt cor meum tuo amore inebriatum, ... guberna eum tuo, & in ſanguine Agni conſerva, & in latere Filii tui colloca, ut ſolum quæ ſentis, ſentiat, & ſolum diligat quæ tu amas; non in terra, ſed in cælo ſit tecum .. Tunc poſſidebo quod ſpero; quia tu es *ſpes noſtra*. ... Quis non ſperabit in te, quæ & adjuvas deſperatos? ... Ad te matrem noſtram, ad te nutricem noſtram, ad te adjutricem noſtram, ... quæ non derelinquis derelinquentes, quæ recipis fugientes, quæ es Regina, Imperatrix, & Domina Angelorum, quæ blandimentis nos allicis, deliciis nos foves & nutris, *ad te clamamus* ... Clamamus anguſtiati, & miſeriis infinitis oppreſſi ... Clamamus, ut ad compaſſionem te, Domina, invocemus. Quid ergo amplius affligi permittis? ... Cito, Domina, ſubvenias clamanti, ne manibus ſubjaceam inimici. Curre, feſtina, Domina, tuum nequiſſimum ac infideliſſimum ſervum ad te clamantem parcendo adjuva, & eripe de manibus inimici, & a periculis tui hoſtis ... Curre ne inimicus glorietur in tuis clientulis dominari. ... Ne mireris, Domina, ſi clamamus, quia ſumus a te nimium elongati. ... Ad te clamamus *exules* a patria, exules a viſione divina, necnon exules a gratia, exules a con-

ſolatione materna. O anima mea, cur non es potius ſeparata a corpore, quam a tua Domina exulata?... Heu mihi, cur ſum in tam longum exilium relegatus? Quando videbo Deum Salvatorem meum? Aut quando potero ſaltem Dominam meam intueri? *Filii Evæ.* Vere filii Evæ, quia ſuperbi, præſumptuoſi, ambitioſi, avari, ... guloſi, carnales, inobedientes, ... ipſam Evam in omnibus ſequentes, proni ſumus ad malum, difficiles vero ad bonum. ... Et niſi, Domina, nos adjuviſſes, fortaſſe ad inferni profundiſſima veniſſemus. .. Per te, Domina, dè tanta miſeria ſublevari ſperantes, propter hoc ad te, Domina, *ſuſpiramus*; ſuſpiramus autem de bonæ Matris abſentia, venire ad te, Domina, cupientes: ſuſpiramus ad te, Domina, tuum Filium videre affectantes: ſuſpiramus tanquam parvuli ad ubera anhelantes; tanquam filii & indigni ad tuos maternales complexus tendentes ... Ad te Dominam *ſuſpiramus gementes, & flentes in hac lacrymarum valle.* Tu Domina nonne vides, quod totaliter ſumus amaritudine pleni? Intus ſumus gementes, exterius flentes, in hoc lacrymoſo loco jacentes. Onerati peccatis gemimus, aggravati moleſtiis flemus ... In valle lacrymarum ſumus, tuum auxilium poſtulantes. *Eja ergo Advocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad nos convertas.* Non dubito, Domina, quod ſi noſtras aſpexeris miſerias, non poterit tua miſeratio ſuum retardare

dare affectum . ... Ergo oculos, benigna Domina, ad nos converte. *Et Jeſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtende*, ... ut ipſum videndo, ipſum habeamus; ipſum videndo, beatitudine repleamur. ... *O clemens, o pia, o dulcis Maria*. O clemens indigentibus, pia exorantibus, dulcis amantibus! ... Clemens es petentibus, pia te quærentibus, dulcis te invenientibus ... O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria (47).

DIE V. MENSIS.

I.

De humanæ reparationis beneficio Chriſto Redemptori gratias agit.

MIſericors Deus & benigne, ... tu ſis per ſæcula benedictus, quia propter me carnem induere voluiſti, ut tua immenſa charitas ... a me cognoſceretur ... Sit tua Incarnatio benedicta, quia fuit cauſſa exaltationis generis humani, quod per peccatum perierat primi parentis (48). Perieram, mortuus fue-

(47) *S. Anſelmus Epiſc. Lucenſis Medit. in Antiph.* Salve Regina *Tom.* 17. *Biblioth. PP. edit. Lugd.* (48) *S. Bernardinus in Seraphin Quadrageſimal. ſerm.* 48. *parte* 2.

ram ; ad mortuum deſcendiſti, mortalitatem ſuſcepiſti, ad ſervum rex deſcendiſti. Perieram, abieram, in peccatis venumdatus eram; veniſti pro me, ut redimeres me : & tantum me dilexiſti, ut ſanguinem tuum in pretium dares pro me. Dilexiſti me plus quam te, quia mori voluiſti pro me. Tali pacto, tam caro pretio reduxiſti me de exilio, redemiſti me de ſervitio, retraxiſti me de ſupplicio. Vocaſti me nomine tuo, ſignaſti me ſanguine tuo (49). Tu Deus, & ego homo, & tamen pro me tu Deus factus es homo. Tu Creator, & ego creatura, tu pro me dignatus es fieri creatura. Tu Dominus, nos ſervi, & pro ſervis dignatus es fieri ſervus, peregrinus pro peregrinis, pro exulibus exul, pro pauperibus pauper, pro humilibus humilis, pro mortalibus non tantum mortalis, ſed mortuus. Non qualicumque morte, ſed dura nimis, amara nimis & turpiſſima, morte ſcilicet crucis. Hæc opera tua, Deus (50). Quid ergo dilexiſti Domine in me, & tantum dilexiſti, ut morereris pro me? Quid tale in me inveniſti, pro quo tanta & tam dura ſuſtinere voluiſti? ... O Domine Deus meus, dulcedo vitæ meæ, lumen oculorum meorum, quid retribuam tibi pro omnibus quæ retribuiſti

(49) *Lib. Soliloq. inter Op. Aug. in Append. cap.* 13. (50) *S. Bernardus ſerm.* 13. *in Cœna Dom.*

buiſti mihi (51)? Quid reddam tibi pro tanto amore tuo? Omnia in numero, & pondere, & menſura feciſti; ſed ſine numero, pondere, & menſura amaſti (52). Superat omnem ſenſum, excedit omne judicium pietas tua, dilectio tua, clementia tua. Sacrificium laudis reddam tibi: non quia ſufficere exiſtimem, ſed quia aliud, quod tibi reddere poſſim, in promptu non habeo (53). Collaudabo te, qui creaſti me, cum nihil eſſem; qui illuminaſti me, cum in tenebris eſſem; qui reſuſcitaſti me, cum mortuus eſſem; qui paviſti me a juventute mea omnibus bonis tuis (54).

I I.

Chriſtum adorat, & glorioſa ejus paſſionis inſignia.

SUaviſſime, & dulciſſime Jeſu Chriſte, qui es pius amator hominum, ac benigniſſimus redemptor peccatorum, te adoret anima mea, tibi ſerviat omnis vita mea, te deſiderent omnia interiora mea (55). *Adoro* te, Chriſte, Rex Iſrael, princeps regum terræ, lux

(51) *Lib. de diligendo Deo inter Op. Aug. in Append.* (52) *S. Thomas a Villan. conc.* 1. *in Dom.* 2. *Quadrag.* (53) *Idem conc.* 1. *in feſto Nat. Dom.* (54) *Auctor Soliloq. inter Op. Aug. in Append. cap.* 7. (55) *S. Anſelmus in Medit. medit.* 19. *cap.* 3.

lux gentium, Domine Sabbaoth, virtus Dei omnipotentis fortiſſima. *Adoro* te, pretioſum redemptionis noſtræ pretium, hoſtia pacifica, quæ ſola odoris tui mirabili ſuavitate Patrem, qui in Cælis habitat, ad reſpiciendum humilia inclinaſti, & ſolus ipſe ipſum placabilem reddidiſti. Tuas, Chriſte, miſerationes *prædico*; ... tibi, Chriſte, ſacrificium laudis immolo pro multitudine bonitatis tuæ, quam oſtendiſti nobis, ſemini nequam, filiis ſceleratis ... Te ut verum Deum adoro, in te credo, in te ſpero, & quibus poſſum deſideriis ad te ſuſpiro. Adjuva imperfectionem meam; ad tuæ paſſionis glorioſa inſignia, in quibus ſalutem meam operatus es, totum me inclino. Tuæ victorioſæ Crucis regale vexillum in nomine tuo, Chriſte, adoro: tuum ſpineum diadema, tuo rubentes ſanguine clavos, tuo ſancto lateri immerſam lanceam, tua vulnera, tuum ſanguinem, tuam mortem, tuam ſepulturam, tuam victorioſam reſurrectionem, & glorificationem, Chriſte, ſupplex adoro & glorifico ... Tuæ vivificæ morti ſervum tuum configura, faciens in me ut moriar quidem peccato ſecundum carnem, vivam autem juſtitiæ ſecundum ſpiritum ... Vulneret cor meum vivus & efficax ſermo tuus penetrabilior omni lancea acutiſſima; & pertingens uſque ad interiora animæ meæ, producat ex ea, tamquam a dextro latere meo, vice ſanguinis,

&

& aquæ, amorem tuum (56). O mi Domine, nunc tota anima mea deſiderat in amplexus tuos & oſcula. Nihil quæro niſi teipſum; quamvis nulla merces repromitteretur; licet infernus & paradiſus non eſſent, tamen propter dulcem bonitatem tuam, propter teipſum adhærere vellem tibi (57). Quod majus præmium, aut quæ gloria, quæ dignitas ſublimior, quam tibi placere, tibi adhærere, tibi ſervire (58)? Tu continua meditatio mea, verbum meum, opus meum (59).

III.

In Virginis Mariæ clientelam ſe commendat.

O Beatiſſima, & dulciſſima Virgo Maria, Mater Dei, omni pietate pleniſſima, ſumma Regis filia, Domina Angelorum, Mater omnium Creatoris, in ſinum pietatis tuæ commendo hodie, & omnibus diebus vitæ meæ corpus meum, & animam meam, omneſque actus meos, cogitationes, voluntates, deſideria, locutiones, operationes, omnemque vitam, finemque meum, ut per tua ſuffragia diſponantur in bonum ſecundum voluntatem dilecti Filii tui Domini noſtri Jeſu

 Chriſti

(56) *Idem medit.* 9. (57) *Idem medit.* 10. (58) *S. Thomas a Villan. conc.* 2. *in feſto S. Ægydii Ab.* (59) *S. Anſelm. medit.* 10.

Chriſti; ut ſis mihi, o Domina mea ſanctiſſima, adjutrix, & conſolatrix contra inſidias, & laqueos hoſtis antiqui, & omnium inimicorum meorum. A dilecto Filio tuo Domino noſtro Jeſu Chriſto mihi impetrare digneris gratiam, cum qua potenter reſiſtere valeam tentationibus mundi, carnis, ac dæmonis; ac ſemper habere firmum propoſitum ulterius non peccandi, ſed in tuo, & dilecti Filii tui ſervitio perſeverandi. Deprecor te etiam, Domina mea ſanctiſſima, ut impetres mihi veram obedientiam, & veram cordis humilitatem, ut veraciter me agnoſcam miſerum ac fragilem peccatorem, & impotentem non ſolum ad faciendum quodcumque opus bonum, ſed etiam ad reſiſtendum continuis impugnationibus, ſine gratia, & adjutorio Creatoris mei, & ſanctis precibus tuis. Impetra mihi etiam, o Domina mea dulciſſima, perpetuam mentis, & corporis caſtitatem, ut puro corde, & caſto corpore Filio tuo, & tibi valeam deſervire. Obtine mihi ab eo voluntariam paupertatem, cum patientia, & mentis tranquillitate, ut labores ſtatus mei valeam ſuſtinere, & pro ſalute propria, & proximorum valeam laborare. Impetra mihi etiam, o Domina dulciſſima, charitatem veram, qua ſacratiſſimum Filium tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum toto corde diligam; & te poſt ipſum ſuper omnia; & proximum in Deo, & propter Deum; ſicque de bono ejus gau-

deam

deam, de malo doleam, nullumque contemnam, neque temerarie judicem, neque in corde meo me alicui præponam. Fac etiam, o Regina cæli, ut dulciſſimi Filii tui timorem pariter, & amorem ſemper in corde meo habeam, & de tantis beneficiis mihi non meis meritis, ſed ipſius benignitate collatis, ſemper gratias agam; ac de peccatis meis puram, & ſinceram confeſſionem, & veram pœnitentiam faciam, ut ſuam conſequi merear miſericordiam, & gratiam. Oro etiam, ut in fine vitæ meæ tu, Mater unica, cæli porta, & peccatorum Advocata, me indignum ſervum tuum a ſancta fide catholica deviare non permittas, ſed tua magna pietate, & miſericordia mihi ſuccurras, & a malis ſpiritibus me defendas; ac benedicti Filii tui glorioſa paſſione, etiam tua propria interceſſione ſpe accepta, veniam de peccatis meis ab eo mihi impetres, atque me in tua, & ejus dilectione morientem, in viam ſalvationis, & ſalutis dirigas. Amen (60).

DIE VI.

(60) *S. Thomæ Aquinati hanc orationem adſcribit Ordo Præd. in Offic. B. M. V.*

DIE VI. MENSIS.

I.

Quoniam indignus eſt, qui ad ſacrificium peragendum accedat, ideo ſe effici dignum obſecrat.

DOmine, qui noſti corda omnium, tu ſcis indignitatem meam, meque minus præparatum, nec ſufficienter diſpoſitum, ut accedam ad miniſterium hoc tuum ſanctum (61). Scio, Domine, & vere ſcio, & idipſum bonitati tuæ confiteor, quia non ſum dignus accedere ad tantum myſterium propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas (62): neque dignus ſum qui oculos obvertam huic ſacræ, & ſpiritali menſæ, in qua unigenitus Filius tuus, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus mihi, qui peccator ſum, & omnibus maculis labefactatus, myſtice proponitur in ſacrificium (63). Sed ſcio, & veraciter ex toto corde meo credo, ore meo confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui ſolus potes facere mundum de immundo con-

cep-

(61) *In Liturgia Coptica, quæ Baſilii M. nomine circumfertur*. (62) *S. Anſelmus orat.* 29. (63) *In vet. Liturg., quæ Jacobi nomine circumfertur*.

ceptum ſemine .... Per hanc omnipotentiam tuam te rogo, Deus meus, ut concedas mihi peccatori hoc cæleſte ſacrificium celebrare cum timore, & tremore, cum cordis puritate, & lacrymarum fonte, cum lætitia ſpiritali, & cæleſti gaudio (64). Tibi vitam totam & ſpem *meam commendo*, clemens Domine, & *rogo* te, *precor*, & *obſecro*, ut cæleſtium tuorum ac tremendorum myſteriorum ſanctæ & ſpiritualis menſæ cum pura conſcientia *particeps ſiam*, ad remiſſionem peccatorum, & veniam delictorum, in Spiritus Sancti communionem, in regni cælorum hæreditatem, in fiduciam erga te, non in judicium, aut condemnationem ... Emitte manum tuam ex ſancto habitaculo tuo, & confirma me ad propoſitum miniſterium tuum, ut inculpate tremendo tuo tribunali adſtans, incruentum ſacrificium peragam ... Ne avertas faciem tuam a me, nec me ex ſervorum tuorum numero rejicias; ſed dignare ut a me peccatore, & indigno famulo tuo hæc dona offerantur (65). Supplex exoro, & obſecro, Domine, miniſterium tuum reſpice, & miſero mihi miniſtro miſerere, ſacrificatorem purifica, & ſacrificium ſanctifica. Deus Pater, audi me; quidquid eſt in me contra me, clementer aufer a me; apta me tuo ſancto ſervitio, ac miniſtrum idoneum tibi

(64) *S. Anſelmus orat.* 29. (65) *Ex vet. Liturg., quæ Chryſoſt. nomine circumfertur, inter op. Chryſ. tom.* 12.

tibi me perfice; & annue ut quæ tibi placita ſunt, inter hæc ſancta myſteria poſtulem, & quæcumque poſtulo tua, Domine, benigniſſima, quæſo, miſericordia percipiam (66).

I I.

Petit mentis, & corporis puritatem, ut inculpatim ſacrificium peragat.

SUmme Sacerdos, & vere Pontifex, ... propter magnam clementiam tuam concede mihi Miſſarum ſolemnia mundo corde, & pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis & nefandis, vanis, & noxiis cogitationibus ... Rex virginum, amator caſtitatis, Deus cæleſti rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo fomitem ardentem libidinis, ut maneat in me tenor caſtitatis corporis, & animæ, & mortifica in membris meis carnis ſtimulos, omneſque libidinoſas commotiones, & da mihi veram, & perpetuam caſtitatem cum cæteris donis tuis, quæ tibi placeant in veritate, ut ſacrificium laudis caſto corpore, & mundo corde quotidie valeam tibi offerre. Quanta enim ... corporis caſtitate, & animæ puritate iſtud divinum, & cæleſte ſacrificium eſt celebrandum, Domine, ubi caro tua in veritate ſumitur, ubi ſanguis tuus in veritate bibitur, ubi ima ſummis conjunguntur,

ubi

(66) S. Anſelm. orat. 32.

ubi adeſt ſanctorum Angelorum præſentia, ubi tu es Sacerdos & mirabiliter, & ineffabiliter (67)? Dulciſſime, & ſuper omnia deſideranda deſiderande, & ſuaviſſime Jeſu Chriſte, ... per tuam magnam miſericordiam emunda ab omni inquinamento peccati animam meam, ut dignus poſſim accedere ad ſervitium tui altaris, digneque tractare myſterium corporis, & ſanguinis tui ... Bonus es tu, Domine, & in bonitate tua doce me juſtificationes tuas, ut eas intelligendo, eaſque, ſicut decet, jugiter operando, mundo corde, mundaque anima poſſim recipere myſteria tua (68). Fac *me* eſſe dignum qui *offeram* tibi preces, ſupplicationes, & incruenta ſacrificia pro toto populo tuo: & fac *me idoneum*, quem in hoc miniſterio poſuiſti, ut in virtute Spiritus tui Sancti inculpate & innoxie in puro conſcientiæ *meæ* teſtimonio invocem te in omni tempore, & loco, ut exaudiens *me*, propitius mihi ſis in multitudine bonitatis tuæ (69).

III.

(67) *S. Anſelm. orat.* 29., *&* *tom.* 2. *Oper. S. Ambr. in Append.* (68) *S. Anſelm. orat.* 27. (69) *Ex vet. Liturg., quæ Chryſoſt. nomine circumfertur, inter Op. Chryſoſt. tom.* 12.

III.

Orat pro populo, & pro animabus Fidelium defunctorum.

QUi benedicis benedicentes te Domine, & qui ſanctificas eos, qui in te confidunt, ſerva populum tuum, & benedic hereditatem tuam (70). Tuum, Domine, populum ſerva; parce hereditati tuæ... Memento crucis tuæ. Memento populi tui (71). Miſerere plebi tuæ, Domine, ſuper quam invocatum eſt nomen tuum ſanctum, ut ſciant omnes, qui habitant terram, quia tu es Deus protector populorum tuorum. Dimitte, Domine, peccata populi tui, ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ. Sicut propitius fuiſti patribus noſtris, propitius eſto & nobis, ut impleatur gloria tua in univerſa terra.... Inclina, Domine, aurem tuam, & audi; reſpice de cælo, & vide afflictionem populi tui. Exaudi, Domine; propitiare, Domine; intende, ne tardaveris, quia nomen ſanctum tuum invocatur ſuper nos... Peccavimus, Domine, & tu iratus es nobis, & non eſt qui effugiet manum tuam; ſed ſupplicamus ut veniat ſuper nos miſericordia tua. Qui Ninivæ peperciſti, miſerere nobis. Reminiſcere miſerationum tuarum, Domine, & quos hucuſque to-

(70) *Loc. cit.* (71) *S. Epiphanius orat. in Chriſti Reſurrect.*

toleras, ad pœnitentiam compunge (72). Da, Domine Jeſu Chriſte, ſacerdotibus concordiam, Regibus, Epiſcopis, & Principibus juſte judicantibus tranquillitatem, & pacem ... Præſta, Domine Rex æterne, virginibus caſtitatem, Deo dicatis continentiam, conjugatis ſanctimoniam, pœnitentibus indulgentiam (73). Auxiliare optimis, ut in bonitate ſemper conſiſtant. Miſerere bonis, & mediocribus, ut meliores fiant. Succurre prave agentibus, & delinquentibus, ut cito ſe corrigant. Propitiare etiam, Domine, Hæreticis, & Schiſmaticis, Judæis, & Paganis, ut revertantur a viis ſuis malis, & cognoſcant te Deum vivum & verum, qui feciſti cælum & terram, mare, & omnia, quæ in eis ſunt. Miſerere omnibus fidelibus defunctis, dans eis vitam beatam propter pietatem tuam (74). Sit illis ſalus, ſanitas, gaudium, & refrigerium hoc magnum pietatis Sacramentum. Deus meus, ſit illis hodie magnum, & plenum convivium de te pane vivo, qui de cælo deſcendiſti, & das vitam mundo de tua carne ſancta, & benedicta, ... ut exinde refecti, & ſatiati, refrigerati, & conſolati, exultent in laude, & gloria tua (75).

DIE-

(72) *S. Anſelmus orat.* 1. (73) *Lib. Medit. incerti Auct. inter Op. Aug. in Append. cap.* 40. (74) *S. Anſel. orat.* 1. (75) *Idem orat.* 29.

DIE VII. MENSIS.

I.

Deum invocat, cujus bonitate fuit præventus.

INvoco te, Deus meus, invoco te, quia prope es omnibus invocantibus te; ſed invocantibus in veritate: tu enim veritas es. Doce me, quæſo, per clementiam tuam, ſancta veritas, doce me invocare te in veritate. ... Deſidero invocare te, quod quæſo fiat in veritate (76). Invoco te, Deus meus miſericordia mea, qui feciſti me, & oblitum tui oblitus non es (77). Ut invenirem te, tu prius quæſiſti me: ut redirem ad te, tu compuliſti: ... ut confiterer, tu es operatus: ut me recognoſcens plangerem, tu dediſti mihi (78). Quando errabam, *reduxiſti* me: quando ignorabam, *docuiſti* me: quando peccabam, *corripuiſti* me: quando contriſtabar, conſolatus *es* me: quando deſperabam, *confortaſti* me: quando cecidi, *erexiſti* me ... Hæc & alia multa feciſti mihi, Deus meus, de quibus erit mihi dulce ſemper loqui, ſemper gra-

(76) *Idem orat.* 2. (77) *S. Aug. lib.* 13. *Conf. cap.* 1. (78) *S. Paulin. Aquilej. in lib. Exhort. ad Henric. Duc. Forojul.*

gratias agere, ut pro omnibus beneficiis *tuis* poſſim *te* amare, & ſemper laudare (79). Nunc adeſto mihi Deus meus, quem quæro, quem diligo, quem corde & ore confiteor, & qua valeo virtute laudo, atque adoro (80).

II.

Deum videre ardenter deſiderat.

Deus Pater, & virtus mea, quando veniam, & apparebo ante faciem tuam: ut qui nunc tibi confiteor ad tempus, ex tunc confitear tibi in æternum ?... Scio, Domine, ſcio, & confiteor me indignum, ut intrem ſub tectum tuum: ſed fac propter nomen tuum, & ne confundas in te ſperantem ſervum tuum... Quemadmodum deſiderat cervus ad fontem aquarum, ita deſiderat anima mea ad te, Deus... O fons vitæ, vena aquarum viventium, quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ de terra deſerta, invia, & inaquoſa, ut videam virtutem tuam, & gloriam tuam (81)? Hoc eſt quod ſitio, venire, & apparere. Sitio in peregrinatione, ſitio in curſu: ſatiabor in adventu: ſed quando veniam (82)? Quando apparebo ante faciem tuam?

(79) *S. Anſelm. in lib. Medit. medit.* 7. *cap.* 2. (80) *Idem medit.* 14. *cap.* 1. (81) *Lib. Soliloq. animæ ad Deum incerti Auct. inter Op. Aug. in Append.* (82) *Aug. enar. in Pſ.* 41.

tuam? Quando ſatiabor de pulchritudine tua? Quando educes me de hoc carcere tenebroſo, ut confitear nomini tuo, itaut deinceps non compungar? Quando tranſibo in illam admirabilem & pulcherrimam domum tuam, ubi perſonat vox lætitiæ, & exultationis in tabernaculis juſtorum? O quam mira, quam pulchra, quam acceptabilia ſunt domus tuæ habitacula, Domine virtutum! Concupiſcit intrare in ea hæc peccatrix anima mea (83). Deus meus, Creator meus, adjutor meus, te ſitio, te eſurio, de deſidero, ad te ſuſpiro, te concupiſco (84). Auge deſiderium meum, & da quod peto: quoniam ſi cuncta quæ feciſti, mihi dederis, non ſufficit ſervo tuo, niſi te ipſum dederis. Da ergo te ipſum mihi, Deus meus, redde te mihi.... Tui amore teneor, tui deſiderio flagro, tui dulci memoria delector (85). Oſtende te mihi, conſolator meus, videam te, lumen oculorum meorum. Veni gaudium ſpiritus mei; videam te, lætitia cordis mei.... Appare mihi delectatio mea magna, ſolatium meum dulce.... Inveniam te, deſiderium cordis mei; teneam te, amor animæ meæ. Amplectar te, ſponſe cæleſtis... poſſideam te, beatitudo ſempiterna; poſſideam te in medio cordis mei, vita beata, dulcedo ſumma animæ meæ.... Amplectar te bonum, ſine quo nihil bonum: fruar te optimo,

(83) *S. Anſelm. orat.* 19. (84) *Idem orat.* 20. (85) *Idem medit.* 14. *cap.* 2.

mo, ſine quo nihil eſt optimum (86). Si nihil aliud deſidero quam te, inveniam jam te, quæſo, Pater. Si autem eſt in me ſuperflui alicujus appetitio, tu ipſe munda, & fac idoneum ad videndum te (87). Adhæreat tibi, Domine, anima mea, ita tibi adhæreat, ut a te recedere numquam permittas, ſed ad te, quæ pro te gemit, quam citius conſolandam perducas (88). Domine Deus meus, una ſpes mea, exaudi me, ne fatigatus nolim te quærere, ſed quæram faciem tuam ſemper ardenter. Tu da quærendi vires, qui invenire te feciſti, & magis magiſque inveniendi te ſpem dediſti (89). Exaudi, exaudi, exaudi me Deus meus, Domine meus, Rex meus, Pater meus, cauſſa mea, ſpes mea, res mea, honor meus, domus mea, patria mea, ſalus mea, lux mea, vita mea. Exaudi, exaudi, exaudi me more illo tuo paucis notiſſimo (90).

III.

Intemeratam Dei Matrem laudat, & obſecrat.

TE Matrem Dei laudamus; te Mariam Virginem profitemur.

Te

(86) *Lib. Soliloq. inter Op. Aug. in Append. cap.* 1. (87) *S. Aug. lib.* 1. *Soliloq. cap.* 1.
(88) *S. Bernardus ſerm.* 3. *de Cœna Dom.*
(89) *S. Aug. lib.* 15. *de Trinit. cap.* 23.
(90) *Idem lib.* 1. *Soliloq. cap.* 1.

Te æterni Patris ſponſam omnis terra veneratur.
Tibi omnes Angeli, & Archangeli, tibi Throni, & Principatus fideliter deſerviunt.
....
Tibi omnis Angelica creatura inceſſabili voce proclamat.
Sancta, Sancta, Sancta Maria Dei Genitrix, Mater, & Virgo.
Pleni ſunt cæli, & terra Majeſtatis gloriæ fructus ventris tui.
Te glorioſus Apoſtolorum chorus ſui Creatoris Matrem collaudat.
Te beatorum Martyrum cœtus candidatus Chriſti Genitricem glorificat.
....
Te tota cæleſtis curia Reginam honorat.
Te per univerſum orbem Eccleſia invocando concelebrat.
Matrem Divinæ Majeſtatis;
Venerandam te veram Regis cæleſtis puerperam;
Sanctam quoque, dulcem, & piam.
Tu Angelorum Domina, tu Paradiſi janua.
....
Tu mediatrix Dei, & hominum amatrix, mortalium cæleſtis illuminatrix.
.....
Tu ad liberandum exulem hominem, Filium Dei ſuſcepiſti in uterum.

Per

Per te, expugnato hoſte antiquo, ſunt aperta fidelibus regna cælorum.

Tu adſtas in cælis ad dexteram Filii tui.

Tu ipſum pro nobis roga, Virgo Maria, quem nos ad judicandum credimus eſſe venturum.

Te ergo poſcimus, nobis tuis famulis ſubveni, qui pretioſo Sanguine Filii tui redempti ſumus.

Æterna fac, pia Virgo, cum Sanctis tuis nos *in* gloria numerari.

Salvum fac populum tuum, Domina, ut ſimus participes hæreditatis Filii tui.

Et rege nos, & cuſtodi nos in æternum.

Per ſingulos dies, o pia, te ſalutamus.

Et laudare te cupimus uſque in æternum mente, & voce.

Dignare, dulcis Maria, nunc & ſemper nos ſine delicto conſervare.

Miſerere, pia, nobis, miſerere nobis.

Fiat miſericordia tua magna nobiſcum, quia in te, Virgo Maria, confidimus.

In te, dulcis Maria, ſperamus, nos defendas in æternum (91).

(91) *S. Bonaventura in Opuſculo, quod inſcribitur: Pſalterium B. V. M.*

DIE VIII. MENSIS.

I.

Neſciens quo ſe vertat, nam torrentes iniquitatis eum conturbant, in Chriſti vulnera ſe conjicit.

HEu, heu miſer, quid dicam, vel quid faciam?... Ad quem recurram? Quo divertam?... Deum offendi,... Angelos irritavi, Sanctos inhonoravi.... Neſcio miſer quo me vertam, qui omnium me conſtitui inimicum... Ejulabo ergo miſer, & oculis meis ſine fine plorabo dum fuero in hac valle miſeriæ, ſi forte piiſſimus Pater me dignetur aſpicere. Scio etiam quid facere diſpoſui: projiciam me in conſpectu Dei mei, & dicam ei: vere ego ſum ille peſſimus inimicus tuus, & nequiſſimus ſervus, nefandiſſima creatura, qui deteſtabilia feci in tua præſentia. Non ſum dignus eſſe creatura tua, etiam in quantacumque pœna conſtitutus. Expande ergo, quæſo Domine, ſuper miſerum pallium clementiæ tuæ, & vincat nequitiam meam immenſa bonitas tua. Recognoſce in me imaginem tuam, quamvis nimium deturpatam, & deduc me ovem errantem ad te pium paſtorem. Gratuletur piiſſimus pater de prodigo filio re-

deunte: Paſtor verus de ove inventa, & piiſſima mater de drachma reperta ... Et ut etiam te poſſim placare, ſcio quid faciam . ... Dei mei intrabo vulnera, & in ejus dolores, & opprobria transformabor quantum potero (92). O bone Paſtor, ego ſum illa ovis, quæ periit, & erravit, pro qua in cruce poſuiſti animam tuam: ecce ego, agnoſce eam, & introduc eam in caulas vulnerum tuorum, & tua paſſione cuſtodi diligenter ... O bone, o pie, o dulcis Jeſu Chriſte, nihil aliud a te peto in vita iſta, niſi ut ſim ſemper tecum perfecte crucifixus in cruce. Certe dulciſſime Jeſu nolo vivere, niſi moriar tecum. Aut ergo da mihi mortem corporalem, aut in corde meo mihi imprime mortem tuam (93).

I I.

Ut peccatorum veniam conſequatur, paſſionem Filii repræſentat æterno Patri.

PAter omnipotens, per omnipotentis Filii tui charitatem poſtulo: educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo, libera me a vinculis peccatorum, ... meque, cui propria merita lethalem minantur ſententiam, pretioſiſſimæ ad dexteram tuam conſedentis prolis interpellatione reſtaura placatus

 ad

(92) *S. Laurent. Juſtin. de Incendio Divini amoris cap.* 2. (93) *Idem loc. cit. cap.* 4.

ad vitam... Aſpice, pie Pater, piiſſimum Filium pro me tam impia paſſum.... Reduc, Deus meus, oculos majeſtatis tuæ ſuper opus ineffabilis pietatis, intuere dulcem Natum toto corpore extenſum, cerne manus innocuas pio manantes ſanguine, & remitte placatus ſcelera, quæ patraverunt manus meæ.... Vide immaculata veſtigia, quæ non ſteterunt in via peccatorum, ſed ſemper ambulaverunt in lege tua, diris confixa clavis, & perfice greſſus meos in ſemitis tuis.... Oro te, Rex ſæculorum, per hunc Redemptorem meum, fac me currere viam mandatorum tuorum, ut ei valeam ſpiritu uniri, qui non horruit mea carne veſtiri.... Aſpice, mitiſſime Conditor, dilectæ ſobolis humanitatem, & miſerere ſuper infirmi plaſmatis debilitatem.... Specta, glorioſe Genitor, gratiſſimæ prolis lacerata membra, & memorare benignus quæ mea eſt ſubſtantia. Conſpicare Dei-hominis pœnam, & relaxa conditi hominis miſeriam. Vide Redemptoris ſupplicium, & redempti dimitte delictum.... Tu placatio mea, & propitiatio mea, hîc intende pius quem genueris Filium, & quem redemeris ſervum: hîc aſpice Factorem, & ne deſpicias facturam: amplectere ſerenus Paſtorem, & recipe miſericors allatam propriis humeris ovem... Si me pro mea, ut dignum eſt, deſpicis iniquitate, reſpice me ſaltem miſertus pro dilectæ ſobolis charitate: attende in Filio quo propitieris ſervo. Vide

carnis

carnis ſacramentum, & carnis remitte reatum! recole quod bonus perpeſſus eſt Filius, & obliviſcere quod malus operatus eſt ſervus. Quoties beatæ prolis tibi patent vulnera, deliteſcant, obſecro, ſcelera mea. ... Et quia caro te laceſſivit ad iram, caro te inflectat, precor, ad miſericordiam; ut ſicut me caro ſeduxit ad culpam, caro deducat ad veniam. Multum quippe eſt, quod mea meretur impietas; longe autem majus eſt, quod Redemptoris mei repoſcit jure pietas. ... Jam quæſo, ejus pietati mea impietas, ejus modeſtiæ mea perverſitas, & ejus manſuetudini mea donetur ferocitas (94).

III.

Archangeli Gabrielis verbis Mariam ſalutat, & divinam petit gratiam.

HUmiliter flecto genua ad te, ſacratiſſima Virgo Maria, & dico: *Ave Maria, gratia plena*. Suſcipe, clementiſſima Domina mea Sancta Maria, hanc devotiſſimam ſalutationem, & me in ea ſuſcipe, ut aliquid habeam, quod tibi grate placeat, quod mihi fiduciam ad te præſtet, quod majorem ſemper amorem accendat, ac in jugi devotione tui venerandi nominis conſervet. Utinam ad ſatisfaciendum deſiderio honorandi, & ſalutandi

(94) *S. Anſelmus in lib. Orationum orat.* 2.

tandi te ex totis præcordiis meis omnia membra mea modo verterentur in linguas, & linguæ in igneas voces, ut modum invenirem glorificandi te, Dei Genitrix, in æternum. Utinam adhuc pro omnibus peccatis meis, quibus iram merui, & graviſſime Filium tuum contriſtavi, te quoque, & omnem exercitum cæli ſæpiſſime inhonoravi, & offendi, hanc ſuaviſſimam Gabrielis ſalutationem reddere valeam tanquam ſanctam & puram orationis hoſtiam, omnium commiſſorum meorum expiatricem. Utinam quoque, cum nimis fragilis & labilis ſit vita mea, pro univerſis exceſſibus, & negligentiis meis, pro omnibus etiam cogitationibus vanis, immundis, & perverſis, omnes beati ſpiritus, & animæ juſtorum, puriſſima devotione, & ardentiſſima deprecatione dicant tibi, o beatiſſima Virgo Maria, ac centupliciter in honore tuo hanc ſalutationem replicent, qua Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus te primum per Angelum ſuum ſtatuit ſalutare, quatenus ſic aliquo modo reperiam incenſum dignum in odorem ſuavitatis, qui nihil ſuavitatis, & dignæ recompenſationis in me reperio. Sed & nunc in præſentia tua proſtratus, & ſincera devotione incitatus, atque totus in veneratione almiflui tui nominis accenſus, repræſento tibi lætitiam ſalutationis iſtius, quando Gabriel Archangelus a Deo miſſus, ... dixit: *Ave gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus* (*Luc. cap.* 1.).

Et

Et nunc poſt hæc quid petam a te, o Domina mea cariſſima? Quid melius, quidve utilius, & quid tam neceſſarium mihi indigno peccatori, niſi ut inveniam gratiam coram te, & dilectiſſimo Filio tuo? Peto ergo gratiam Dei, te interveniente, & impendente, quæ, teſte Angelo, apud Deum plenitudinem gratiæ inveniſti. Nulla carior petitio eſt, nec ulla re plus indigeo, quam gratia, & miſericordia Dei. Sufficit mihi gratia Dei, cæteris non obtentis. Hanc igitur mihi impetra gratiam, clemens Virgo Maria, quæ tam nobilis & pretioſa eſt, ut merito aliud nihil deſiderare debeam, aut petere, quam gratiam pro gratia (95).

DIE IX. MENSIS.

I.

Ad Deum clamat, dicens: Propitius eſto mihi peccatori. (*Luc.* 18.)

PEccavi: quid faciam, tibi, o cuſtos hominum? (*Job.* 7.). Si poſſibile fuiſſet me non peccaſſe, hoc maxime vellem; ... ſed peccavi, factum eſt, impoſſibile eſt jam non eſſe

(95) *Thom. a Kempis in Soliloquiis animæ cap.* 23.

factum peccatum. *Quid ergo faciam tibi, o cuſtos hominum?* ... Quam ſatisfactionem, quam compenſationem reddam tibi pro peccato meo? Jube quidquid vis, ſtatue quod libet: nihil mihi erit grave, nihil difficile, ut peccatum meum deleas, & in gratiam, & amicitiam tuam redeam. Scio Domine, & vere ſcio, quia propter peccatum meum expoliatus ſum gratia tua, factus ſum tibi inimicus, & odioſus, ſpoliatus ſum etiam regno æterno gloriæ tuæ, & inferni cruciatibus mancipatus (96). *Sed tu* Deus virtutum, Deus æterne, Deus miſericordiæ & miſerationum, ne derelinquas me, ne deſpicias me, ne auferas a me miſericordiam tuam.... Ut ad terribile tribunal tuum adſtans, ut intemeratos pedes tuos tangens, ſic rogo, & oro, & obſecro cum contrito, & humiliato corde: *propitius eſto mihi peccatori*.... Reſpice de ſancto habitaculo tuo in miſeriam meam. Reſpice de ſancta ſublimitate tua in orationem humilis ſervi tui, & ne deſpicias obſecrationem meam ... Ut homo peccavi, ut Deus ignoſce (97). Adjuva creaturam tuam, etſi magnitudine peccatorum obrutam; a te tamen videns creatam, adjuva ne deſperet (98). Succurre mihi, Deus meus, antequam moriar, ... antequam me infer-

(96) *S. Thomas a Villan. conc.* 1. *in Dom.* 3. *Quadrag.* (97) *Incertus Auctor inter Op. Chryſ. Tom.* 12. (98) *S. Anſelm. in lib. Medit. medit.* 6.

fernus rapiat, antequam me flamma comburat, antequam me tenebræ involvant. Subveni mihi, Deus meus, priuſquam ad tormenta perveniam, priuſquam me devoret ignis gehennæ, priuſquam ſine termino crucier in inferno. ... Parce mihi, Domine, antequam vadam ad terram tenebroſam. Subveni mihi, Deus meus, priuſquam vadam ad terram miſeriæ, & tenebrarum. ... Deus meus, non me obliviſcaris in finem. Non me deſeras in perpetuum, non me deſeras in poteſtate dæmonum. *Peccator* ſum, indignus ſum, tamen ad te Deum meum confugio. Tu clemens, tu pius, tu multæ miſerationis. Nullum ſpernis, nullum deteſtaris, nullum recuſas a miſericordia. Domine, oſtende in me miſericordiam tuam. Obſecro, Domine, ut non deneges mihi quod miſericorditer multis dediſti ... Peccavi: Deus meus *propitius eſto mihi peccatori* (99).

II.

Æterno Patri ſupplicat, ad quem venire non poteſt, niſi ab eo trahatur.

Reminiſcere miſerationum tuarum, Domine, & miſericordiarum tuarum, quæ a ſæculo ſunt; & conanti creaturæ tuæ ad te, por-

(99) *Lib. de modo bene vivendi inter Op. S. Bernardi ſerm.* 27.

porrige dexteram. Adjuva infirmitatem conantis ad te: trahe ipſum, qui ſcis ipſum non poſſe ad te venire, niſi tu Pater traxeris eum tuo amore, & deſiderio. Fac me ſervum tibi acceptabilem & placitum, qui ſcis me non poſſe aliter tibi placere. Da, obſecro, dona illa ſancta, quibus ſoli tibi placeam; ... Fac, quæſo, ut tu ſolus ſis amor meus, & deſiderium meum, tu ſolus ſis amor meus, & timor meus. Vindica me totum tibi, qui me totum quod ſum, & totum quod in me, imo totum quod ſapio, totum quod moveor, debere tibi ſoli ſcio. Totum me converte in laudem & gloriam tuam, qui totum me debeo laudi tuæ. Ne tradas, obſecro te, Domine, hoſtibus tuis creaturam tuam: retine eam tibi, cujus eſt ſolius pleniſſime, & ſingillatim: conſumma in me quod cœpiſti, & confirma quod operatus es ... Recupera me, Domine Deus meus, & erue de manibus inimicorum meorum, quia & ipſi tui ſunt. ... Ne ergo prævaleant adverſum me hoſtes gloriæ tuæ; ſed magis confundantur multitudine miſericordiæ tuæ, videntes me converſum in laudem, & gloriam tuam totum quærere pacem, & gloriam tuam contra inſidiantes. Magnifica ergo, Deus meus, animam meam ad annuntiandum laudem tuam, & gloriæ tuæ præconia; ut totus de cætero ſecundum magnitudinem gloriæ tuæ vivam, totaque vita mea te glorificet. ... Illumina me fide ſaluber-

rima

rima tua, lætifica me, & confirma ſpe jucundiſſima & certiſſima tua. Vivifica me dilectione fortiſſima & juſtiſſima tua. ... Quoties ante oculos tuos aliquid, quod eos offendat, affero, torque me, afflige me ... ne recedam a facie miſericordiæ tuæ vacuus & confuſus, ſed obtineam quidquid te jubente, te largiente, & inſpirante petam, & quidquid te petentibus promiſiſti. Sentiam, miſericors, & miſerator Domine, quod non in vanum ad miſericordiam tuam confugitur, & præſto es te quærentibus ad inveniendum te (100). Ad te perveniat oratio mea, ex deſiderio æternorum tuorum beneficiorum excuſſa & jaculata: ad aures tuas emitto eam, adjuva eam ut perveniat, ne deficiat in itinere medio, & quaſi collapſa corruat (101).

III.

Chriſti Matrem deprecatur.

SAnctiſſima Deipara, adjutrix fidelium, omnem ab ſterili mente mea depelle infœcunditatem, ac animam redde virtutibus feracem. Virgo Deipara, impollutum tabernaculum, nunc me mundiſſimis miſerationum tuarum ſtillis emunda peccatis pollutum .... Erige in profundo malorum jacentem: impu-

(100) *S. Anſelmus in lib. Medit., medit.* 8.

(101) *S. Aug. enar. in Pſ.* 53.

gna nunc hoſtes me impugnantes: ne caſta, deſpexeris turpi voluptate ſaucium animum; ſed miſerere, ac ſalva (101). Intemerata Domina Deipara, ſpes ad te recurrentium, ac tempeſtate jactatorum portus, mihi quoque miſericordem illum, & Creatorem, ac Filium tuum, illi ſupplex, redde propitium (103). Ad te venio, ad te, ſola Virgo, Mater Dei, procedo, ... humilior coram te, ſola inventa Mater Domini mei, rogo te, ſola inventa ancilla Filii tui, ut obtineas deleri facta peccati mei; ut jubeas mundari me ab iniquitate operis mei; ut facias me diligere gloriam virtutis tuæ; ut reveles mihi multitudinem dulcedinis Filii tui; ut des mihi loqui, & defendere fidei ſinceritatem Filii tui: concedas etiam mihi adhærere Deo, & tibi; ſervire Filio tuo, & tibi: ... illi ſicut Factori meo, tibi ſicut Genitrici Factoris mei; ... illi ſicut Deo; tibi ſicut Matri Dei; illi ſicut Redemptori meo; tibi ſicut operi redemptionis meæ. ... Oro te, oro te, Sancta Virgo, ut de illo Spiritu habeam Jeſum, de quo tu genuiſti Jeſum. Per illum Spiritum accipiat anima mea Jeſum, per quem concepit caro tua eumdem Jeſum. Ab illo Spiritu ſit mihi noſſe Jeſum, a quo tibi affuit noſſe, habere, & parturire Jeſum ... In illo Spiritu diligam Jeſum, in quo tu

(102) *S. Andreas Archiep. Creten. in Triodiis in Mariæ Conceptionem.* (103) *Idem in magno Canone.*

tu hunc adoras ut Dominum, intueris ut Filium (104).

DIE X. MENSIS.

I.

Animæ miſerias a peccato dimanatas amare deplorat, & ab æterno Verbo illuminari deſiderat.

O Domine Verbum, o Deus Verbum, per quod facta ſunt omnia, ſine quo factum eſt nihil, væ mihi miſero toties obcæcato, quia tu lux, & ego ſine te; toties vulnerato, quia tu ſalus, & ego ſine te; toties infatuato, quia tu es veritas, & ego ſine te; toties oberrato, quia tu via, & ego ſine te; toties mortuo, quia tu vita, & ego ſine te; toties annihilato, quia tu Verbum per quod facta ſunt omnia, & ego ſine te, ſine quo factum eſt nihil.... Miſer factus ſum, & ad nihilum redactus ſum, & neſcivi: quia tu es veritas, & ego non eram tecum. Vulneraverunt me iniquitates meæ, & non dolui: quia tu es vita, & ego non eram tecum. Ad nihilum deduxerunt me; quia tu es

(104) *S. Ildephonſ. in Synonimorum torrente contra Jovinianum cap. 12.*

es verbum, & ego non eram tecum, per quem facta ſunt omnia .... O Domine Verbum, o Deus Verbum, qui es lux, ... via, veritas, & vita, ... dic verbum, dic Domine, *fiat lux*, ut videam lucem, & vitem tenebras; videam viam, & vitem invium; videam veritatem, & vitem vanitatem; videam vitam, & vitem mortem. ... Illuminare, Lux, huic cæco tuo, qui in tenebris, & in umbra mortis ſedet, & dirige pedes ejus in viam pacis, per quam ingrediar in lucem tabernaculi admirabilis uſque ad domum Dei in voce exultationis, & confeſſionis (105).

II.

Ad pedes Jeſu ſuppliciter procumbit, & ejus miſericordiam implorat.

O miſericordiſſime Domine Jeſu Chriſte, ego iniquiſſimus peccator dignus ſum, & dignum me ſentio odio, non amore tuo: pœna, non gloria. Quia licet cognoverim ex tua immenſa pietate tuam exuberantem dilectionem, & amorem dulciſſimum, tamen his oblivioni quodammodo traditis, gratias tibi non rependi, nec me ipſum diſpoſui, ut tuam dilectionem in me ampliori gratia augeres; ſed teipſum ad iracundiam, & vindictam provo-

(105) *Ex cap. 4. & 5. Soliloq. animæ ad Deum inter Op. Aug. in Append.*

vocavi ob miſerabilem vitam meam, quam diverſis vitiis, & peccatis contaminavi. Succurre mihi, Domine Jeſu Chriſte, per tuum ſanctum amorem (106). Placare, obſecro, & miſerere mei, & non avertas faciem tuam a me, qui pro me redimendo non avertiſti faciem tuam ab increpantibus, & conſpuentibus in te. (*Iſ.* 50.) ... Noli, quæſo, piiſſime Domine, ſcribere adverſum me amaritudines meas, ut intres in judicium cum ſervo tuo: ſed ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam (107). Peccata mea magna ſunt & multa, & ideo non ſolum magnam miſericordiam expeto, ſed etiam multitudinem miſerationum tuarum requiro... Immenſas, & innumerabiles mundo exhibuiſti miſericordias, quando genus humanum de ſervitute diabolicæ tyrannidis eripuiſti, & a peccatis ſuis in ſanguine tuo electos tuos laviſti. Lavet ſanguis iſte peccatorum meorum maculas, qui totius mundi potuit delere offenſas (108). Tu es, qui tollis peccatum mundi, qui de cælo deſcendiſti in terram, ut errantem & perditam ovem perquireres: Paſtor bonus, qui animam ſuam ponit pro ovibus, & veniſti in mundum ut peccatores ſal-

vos

(106) *Raymundus Jordanus ſub Idiotæ nomine in Contemplat. de amore divino cap. 3.* (107) *Lib. Medit. inter Op. Aug. in Append. cap.* 39. (108) *S. Greg. Pap. in Expoſit. in ſept. Pſal. pœnit.*

vos faceres, quorum primus ego ſum. Miſerere, miſerere operis manuum tuarum; ne deteſteris me indignum, ſed miſerere operis tui (109). Miſerere ne deſperem, ſed ſperando reſpirem. Et ſi ego commiſi unde me damnare potes, tu non amiſiſti unde ſalvare ſoles. ... Ecce ſub tuæ miſericordiæ umbra protectus ad thronum gloriæ veniam poſtulans curro, clamans & pulſans, donec miſerearis mihi (110). Parce, parce, Domine clementiſſime Salvator Chriſte, Fili unigenite, mihi ſervo tuo inutili, ne coram tremendo tribunali cum tremore, & ignominia magna deprehendar, ludibrioque ſim cunctis ſpectantibus, tam Angelis, quam hominibus (111). Recordare, bene Domine, quod & peccans, & ad mortem uſque vulneratus, ad alium non confugerim medicum, neque manus meas expanderim ad Deum alienum (*Pſ.* 43.), niſi ad tuam ſolius bonitatem. ... Munda me, Domine, ... ab omni peccato. Ne repellas orationem meam, benigniſſime Domine. Indignum os clamat ad te, & cor non mundum, animaque peccatis contaminata. Exaudi me, Domine, propter bonitatem tuam (112).

III.

(109) *Incertus Auct. inter Op. Chryſ. Tom.* 12. (110) *Lib. Medit. cap. cit.* (111) *S. Ephrem Syrus ſerm.* 1. *de compunctione.* (112) *Idem in ſerm.* Non eſſe ridendum, ſed lugendum.

III.

Sperat ſe gratiam, & miſericordiam conſecuturum precibus Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, quæ eſt Mater gratiæ, & miſericordiæ.

O Mater ſummæ pietatis, maximæ miſerationis, & charitatis! O Genitrix ſingularis ex te nati Filii Dei; ſed & totius Chriſtianitatis Mater generalis! O Virgo virginum, Regina mundi, & Domina Angelorum, trahe me poſt te, ne jacens maneam ſub onere peccatorum. Effunde gratiam, rorem ſalvificum de cælis miniſtra, ut veraciter merear ſentire, quod tu es Mater gratiæ, & fons patens miſericordiæ (113). Scio, electa Mater, quia dignus non ſum levare impuros oculos meos, quos ſæpius inquinavi concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, in ſereniſſimam faciem tuam divino lumine radiantem: ... ideoque confundor ab impuritate mea, triſtem penſans indignitatem meam. Sed rurſus propter multitudinem miſericordiæ tuæ, ſpem gero bonam & firmam impetrandi citius gratiam, & plenam reconciliationem, te mihi benigne apparente, & pro me interpellante. Quid aliud poſſum de miſericordiſſima Matre, & de dulciſ-

(113) *Thomas a Kempis in Soliloquiis animæ cap. 24.*

ciſſima Virginè, niſi miſericorditer, & dulciter ſentire in meum, & omnium peccatorum ſolatium? Propter hanc clementiam & manſuetudinem ſub tuam protectionem confugio, ubi infirmi accipiunt virtutem, & captivi liberationem. Eſto ergo miſericors mihi, & bona Mater cordi meo, ut felici experientia nunc ſentiam te omnium eſſe conſolatricem, omniumque tibi ſervientium, & in te ſperantium, fideliſſimum ſublevamen (114).

DIE XI. MENSIS.

I.

Deo grates rependit de dilectionis præcepto hominibus dato.

Domine, quid tibi ſum ipſe, ut amari te jubeas a me, & niſi faciam iraſcaris mihi, & mineris ingentes miſerias (115)? Quæ eſt ſubſtantia mea, ut ſic a me cupias amari, quod æternos cruciatus, & ignes atroces mihi, ſi te non dilexero, miniteris? Tantus ne ego ſum coram te, Domine, ut tanti facias a me amari? *Domine quid eſt homo, quia innotuiſti ei? Aut filius hominis, quia ſic re-*

(114) *Idem in Opuſculo Orationum piar. orat.* 2. (115) *Aug. lib.* 1. *Confeſſ. cap.* 5.

putas eum (*Pſ.* 143.)? Ecce coram te millia millium Angelorum in amore tuo flagrantium, & tibi curæ eſt de vili verniculo ſuper terram repente, ut te diligat? Gratias tibi ago, Domine, quia ſic reputas me. Sed non pro te, ſed pro me amari vis a me: quia enim diligis me, ideo diligi vis a me. Noſti enim, quia in amore tuo mihi ſalus omnis & vita eſt.. Ob hoc igitur exquiris amorem, ut præſtes vitam.... Mira res, das amorem, & pro amore Paradiſum donas: das quia dediſti: das, ut des gratiam pro gratia, donum pro dono. Cum enim merita noſtra præmias, quid aliud quam dona tua præmias? Nam meritum noſtrum donum quoque tuum eſt. Quis non admiretur ſuper tanta dignatione tua?... Non ſolum gratis das *amorem*, ſed etiam paradiſo præmias eum (116).

I I.

Divinum petit amorem.

Ecce, Domine, coram te eſt cor meum, conatur accedere ad te, ſed per ſe non poteſt; fac tu quod ipſum non poteſt. Admitte me intra cubiculum amoris tui, peto, quæro, pulſo. Qui me facis petere, fac & accipere. Das quærere; da invenire. Doces pul-

(116) *S. Thomas a Villan. Conc.* 1. *in Dom.* 17. *poſt Pentec.*

pulſare; aperi pulſanti. Cui das, ſi negas petenti? Quis invenit, ſi quærens fruſtratur? Cui aperis, ſi pulſanti claudis? Quid das non oranti, ſi amorem tuum negas oranti? A te habeo deſiderare: a te habeam impetrare (117). O amor, qui ſemper ardes, & nunquam extingueris, caritas Deus meus, accende me (118). Totum cor meum flamma tui amoris accendat: nihil in me relinquatur mihi, nec quo reſpiciam ad meipſum; ſed totus in te æſtuem, totus in te ardeam, totus diligam te, tamquam inflammatus abs te (119). Recedat ab anima mea omnis injuſtitia, ut te diligam Dominum Deum meum ex toto corde meo, & ex tota anima mea, & ex omnibus viribus meis (120). Deus meus, miſericordia mea, gloria mea, corona mea, coarctor undique, ac ſtimulor cauſis multis, & rationibus plurimis ad amandum te, nec ſufficit cor meum ad tantum debitum amoris perſolvendum. Qui ergo ex omni parte me obligas, & conſtringis beneficio tuo, obligatum abſolve nimio amore tuo: dediſti unde tibi teneor, da etiam unde tibi reddam: nam ſi ego non ſum dignus amare te, tu tamen,

Do-

(117) *S. Anſelmus medit.* 11., *& Auctor libri de contritione cordis inter Op. Aug. in Append. cap.* 2. (118) *S. Aug. lib.* 10. *Confeſſ. cap.* 29. (119) *Idem enar. in Pſ.* 137. (120) *S. Bernardus lib. de natura, & dignitate amoris divini cap.* 6.

Domine, digniſſimus es amari a me. Novum ergo ſuperadde muneribus tuis munus amoris, ut de munere tuo tibi perſolvam debitum meum (121). Da mihi ut amem te ſemper quantum volo, & quantum debeo; ut tu ſolus ſis tota intentio mea, & omnis meditatio mea. Te mediter per dies ſine ceſſatione, te ſentiam per ſoporem in nocte, te alloquatur ſpiritus meus, tecum fabuletur mens mea. Lumine ſanctæ viſionis tuæ illuſtretur cor meum, ut te rectore, te duce ambulem de virtute in virtutem, tandemque videam te Deum deorum in Sion (122).

I I I.

Rogat, ut moriatur anima ſua morte juſtorum.

AD te clamabo Dominum meum, & ad Deum meum deprecabor. Dirige reſiduum vitæ meæ ſecundum voluntatem tuam, confirma me in timore tuo, corrobora me in dilectione tua, & in multitudine bonitatis tuæ bonum mihi finem, & dignum bonitate tua concede (123). Reple me tuis ſanctis virtutibus, & fac me bonis pollere moribus: fac me

(121) *S. Thomas a Villan. conc. in Feſto S. Mariæ Magd.* (122) *S. Anſelmus in lib. Orat. orat.* 17. (123) *Oratio incerti Auct. inter Op. Chryſ. Tom.* 12.

me in ſanctis operibus tuis propter nomen ſanctum tuum perſeverare uſque in finem ſecundum voluntatem tuam (124). Hoc ſuper omnia immenſam bonitatem tuam deprecor, ut qualitercumque mihi eveniat dum vivo, ſaltem de me bonus ſit finis, omnibuſque iniquitatibus meis per veram pœnitentiam dimiſſis, ad viſionis tuæ gloriam pervenire valeam, propter quam me creaſti (125). Miſerere mei, Domine, miſerere mei. Non permittas hanc animam peccatricem, pro qua & naſci de Virgine, & mori in cruce dignatus es; non jubeas, quæſo, ſeparari eam ab hoc mortali corpore, priuſquam me facias plene, & perfecte pœnitere, & plangere omnia peccata mea: ... ita ut in die exitus mei, emundatis delictis omnibus, & bene correctis moribus, ſecurus & gaudens videam dulciſſimam, & pulcherrimam faciem tuam cum lætitia & exultatione propter tuam nimiam miſericordiam, & bonitatem (126). Præſta mihi, Domine, ut in fine recipiat anima mea ſomnum cum requie, requiem cum ſaturitate, ſaturitatem cum æternitate, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen (127).

DIE XII.

(124) *Lib. Medit. in Append. Oper. Aug. cap.* 14. (125) *S. Anſelmus Orat.* 25. (126) *Idem in lib. Medit. medit.* 18. (127) *Idem Orat.* 21.

DIE XII. MENSIS.

I.

Spiritum Sanctum invocat.

OMnipotens paraclete Spiritus, mœrentium conſolator clementiſſime, jam cordis mei penetralibus potenti illabere virtute ... pota me torrente voluptatis tuæ, ut nihil jam mundanorum deguſtare libeat venenatæ dulcedinis. Judica me, Domine, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta; doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. ... Veni jam, veni, beningniſſime dolentis animæ conſolator in opportunitatibus, & tribulationibus adjutor. Veni mundator ſcelerum, curator vulnerum. Veni fortitudo fragilium, revelator labentium. ... Veni omnium viventium ſingulare decus, morientium unica ſalus. Veni ſanctiſſime Spiritus, veni, & miſerere mei (128). Veni, propera, feſtina, o Pater pauperum, o lumen mentium, o largitor munerum, lava quod eſt ſordidum, riga quod eſt aridum, fove quod eſt frigidum, & ſana quod eſt ſaucium. ... Excutiat, *oro* te, Domine, de *corde meo* omnem torporem præſen-

(128) *Idem orat.* 14.

ſentia tua. Rumpantur peccatorum vincula & fluant irrigua lacrymarum fluenta (129).

II.

A Chriſto animæ ſanitatem expoſtulat.

Miſerere, dulciſſime Domine Jeſu, miſerere creaturæ tuæ, miſerere peccatricis animæ meæ. Intende, dulciſſime Domine Jeſu, intende miſeriæ ejus, & libera eam; propter inimicos ejus eripe eam. Illumina oculos ejus, ne unquam obdormiat in morte, ne quando dicat inimicus ejus: prævalui adverſus eam ... Dulciſſime, & miſericordiſſime Domine Jeſu, ſana eam multis malis obrutam, multis iniquitatibus ſuperatam, multis facinoribus maculatam. Adjutor pauperum, defenſor pupillorum, ſana & adjuva eam a te creatam, a te redemptam, per te mundatam (130). Tu es Deus omnipotens infinitæ pietatis, qui juſtificas impios, & vivificas mortuos propter peccatum, qui mutas peccatores, & non ſunt. Tolle ergo de me quidquid tibi diſplicet in me. Imperfecta enim mea plurima vident oculi tui. Mitte, quæſo, manum pietatis tuæ in me: & tolle de me quidquid offendit oculos pietatis tuæ in me.

Coram

(129) *S. Laurent. Juſtin. in ligno vitæ, de virtute Spei cap.* 1. (130) *S. Anſelmus in lib. Orat. orat.* 15.

Coram te, Domine, eſt ſanitas & infirmitas mea. Illam, precor, ſerva, iſtam ſana. *Sana me, Domine, & ſanabor: ſalvum me fac, & ſalvus ero* (*Jerem.* 17.); tu qui infirma ſanas, & ſanata conſervas, tu qui ſolo nutu tuo reſtauras diruta & collapſa (131). Ægrotus ſum, ad medicum clamo; cæcus ſum, ad lucem propero; mortuus ſum, ad vitam ſuſpiro. Tu es medicus, tu lux, tu vita, Jeſu Nazarene. Miſerere mei, Fili David, miſerere mei (132). Infirmus ſum pro peccato: ſana me, quia medicus es. Ego ſum ægrotus, tu es medicus. Ego habeo infirmitatem, tu habes ſanitatem. Ego ſum infirmus per peccatum, tu ſana per miſericordiam (133). Parce animæ meæ, parce malis meis, parce criminibus meis. Viſita me infirmum, cura me ægrum, ſana me languentem, & ſuſcita me mortuum (134). Sana & aperi aures meas, quibus voces tuas audiam. Sana & aperi oculos meos, quibus nutus tuos videam. Expelle a me inſaniam, ut recognoſcam te. Da mihi qua adtendam, ut adſpiciam te, & omnia me ſpero quæ juſſeris eſſe facturum (135). Audi, Deus meus, audi, lumen oculorum meorum, audi quæ peto, & da ut petam

D quod

(131) *Idem orat.* 16. (132) *Lib. Soliloq. inter Op. Aug. in Append.* (133) *S. Hieron. Comment. in Pſ.* 6. (134) *Lib. Medit. incerti Auct. inter Op. Aug. cap.* 40. (135) *S. Aug. lib.* 1. *Soliloq. cap.* 1.

quod audias. Pie & exorabilis Domine, ne efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea; ſed propter bonitatem tuam ſuſcipe preces ſervi tui, & da mihi effectum petitionis meæ, & deſiderii mei, precibus & meritis glorioſæ Virginis Mariæ Dominæ meæ, & omnium Sanctorum. Amen (136).

III.

Animi afflictionibus, & anguſtiis preſſus, ad tutelam confugit divinæ Matris.

SUſcipe, miſericordiſſima Mater Dei Maria, ſervum tuum ad te de quacumque tribulatione fugientem. Suſcipe me, Virgo piiſſima, ſicut unicum non habentem conſolatorem. Vide, Domina mea, afflictionem meam, & ſinum clementiæ tuæ aperi mihi. Ecce pulſo, clamo, peto, & adoro. Non recedo, non te dimitto; ſed tibi adhærebo, donec miſerearis mei ... Dic verbum tantum, & conſolabitur anima mea. Non peto rem difficilem, nec aliquid impoſſibile; ſed hoc tantum precor, Domina mea, loquere mihi verbum ſolatii intimi, quod auditui meo det gaudium, & lætitiam. In neceſſitate mea ad te venio: eja, ſuſcipe me vultu benigno. In hoc cognoſcet ſervus tuus, quia invenit gratiam coram oculis tuis, ſi ei aliquid amabile pro-

(136) *S. Anſelmus orat.* 16.

protuleris, ſi conſolationem, quam a te expectat, non diu tardaveris. Veni, cariſſima Maria, cum melliflua unctione tua ad viſitandum cor meum in tribulatione ſua. Veni, piiſſima Domina, cum nova Chriſti gratia, & jacentem ſervum tuum erige dextera tua ſancta. Veni, electa Mater Dei, & ſolitám tuæ miſerationis largitatem mihi revela, quia, ut cernis, ad nihilum redactus ſum; ſed tui oblitus non ſum, nec obliviſcar in æternum. Veni ergo, veni ſpes mea, & gaudium meum, dilecta, & dulcis Virgo Maria; quia te veniente, & mecum ſermocinante, omnia pariter bona venient, mala autem longius foris ſtabunt.... Dic mihi: *Ecce Mater tua*: *Ecce ego ſum*. Ad hanc benigniſſimam vocem tuam reconvaleſcat anima mea; lætetur que coram te, ſicut lætari ſolet filius inventa matre ſua. Intret, intret vox iſta amicabilis in medio cordis mei, & ex ſuavi alloquentia oris tui ſimul influat ſpiritalis quædam conſolatio Spiritus Sancti. Sumat cor meum fiduciam novam, timor abſcedat, ambiguitas non me moveat amplius, nec deſperatio per varias tentationes frangat; ſed conſoletur me verbum iſtud, quod a te petii audire, & cordi meo attentius commendare: *Ecce Mater tua* (137).

(137) *Thom. a Kemp. in Opuſc. Orationum piar. orat. 3.*

DIE XIII. MENSIS.

I.

Cum timore, tremore, & fide auguſtiſſimum Sacrificium ut valeat peragere, Dei opem expoſcit.

SUmme Sacerdos, & vere Pontifex,. qui te obtuliſti Deo Patri hoſtiam puram & immaculatam in ara crucis pro nobis miſeris peccatoribus, & qui dediſti nobis carnem tuam ad manducandum, & ſanguinem tuum ad bibendum, ... rogo per ſanguinem tuum, pretioſum, magnum ſalutis noſtræ pretium: rogo per hanc miram & inenarrabilem charitatem, qua nos miſeros & indignos ſic amare dignatus es, ut lavares nos a peccatis noſtris in ſanguine tuo: doce me ſervum tuum indignum, quem etiam inter cætera dona tua ad officium Sacerdotale vocare dignatus es nullis meis meritis, ſed ſola dignatione miſericordiæ tuæ: doce me, quæſo per Spiritum Sanctum tuum, tantum tractare myſterium ea reverentia & honore, ea devotione & timore, quibus oportet & decet. Fac me per gratiam tuam ſemper illud de tanto myſterio credere & intelligere, ſentire & firmiter tenere, dicere & cogitare, quod tibi pla-

cet,

cet, & quod expedit animæ meæ (138). Supplex te, pie miſerator hominum, obſecro, ut quæ ad delendum peccata dediſti, non mihi ſint ad peccatorum augmentum, ſed ad indulgentiam & tuitionem. Fac me, Domine, ita ea ore & corde percipere, atque fide, & affectu ſentire, ut per eorum virtutem ſic merear complantari ſimilitudini mortis, & reſurrectionis tuæ, per veteris hominis mortificationem, & novitatem juſtæ vitæ, ut dignus ſim corpori tuo, quod eſt Eccleſia, incorporari; & ſim membrum tuum, & tu caput meum, & maneam in te, & tu in me: quatenus in reſurrectione reformes corpus humilitatis meæ, configuratum corpori claritatis tuæ, ... & in te in æternum gaudeam de gloria tua (139).

II.

Deum Patrem orat juxta traditam a Chriſto formam Matth. 6.

PAter noſter, ... Creator noſter, ... & conſolator noſter, *qui es in cælis*, in Angelis, in Sanctis, illuminans eos ad tui cognitionem: *Sanctificetur nomen tuum*, clarificetur in nobis notitia tua, ut cognoſcamus quæ ſit latitudo beneficiorum tuorum, lon-

(138) *S. Anſelmus orat.* 29., *& in Append. Oper. S. Ambroſ.* (139) *S. Anſelm. orat.* 24.

gitudo promiſſorum, ſublimitas majeſtatis, & profundum judiciorum. *Adveniat regnum tuum*, ut regnes in nobis per gratiam tuam, & facias nos venire ad regnum tuum, ubi eſt tui viſio manifeſta, tui dilectio perfecta, tui ſocietas beata, tui fruitio ſempiterna. *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra*, ut amemus te toto corde, te ſemper cogitando, ex tota anima te ſemper deſiderando, ex tota mente omnes intentiones noſtras ad te dirigendo, & honorem tuum in omnibus quærendo .... *Panem noſtrum quotidianum*, ſcilicet dilectum Filium tuum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum *da nobis hodie*, in memoriam, & intelligentiam, & reverentiam amoris, quem ad nos habuit, & eorum, quæ pro nobis dixit, & fecit, & ſuſtulit. *Et dimitte nobis debita noſtra*, per tuam miſericordiam ineffabilem, & paſſionis dilecti Filii tui Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem, & per beatiſſimæ Virginis Mariæ, & omnium electorum tuorum merita, & interceſſionem. *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. Et quod non plene dimittimus, tu Domine fac nos plene dimittere, ut inimicos noſtros propter te veraciter diligamus, & pro eis apud te devote intercedamus, nulli malum pro malo reddamus, & omnibus in te prodeſſe ſtudeamus. *Et ne nos inducas in tentationem* occultam, vel manifeſtam, ſubitam, vel importunam. *Sed libera nos a malo* præterito, præ-

ſenti,

ſenti, & futuro. *Amen*. Spontanee, & gratis (140).

I I I.

Rogat pro Eccleſia.

DOmine omnipotens, Rex noſter, qui omnia per Chriſtum condidiſti, & univerſa per ipſum providentia tua curas, reſpice & nunc Eccleſiam tuam ſanctam, & adauge eam; multiplica eos qui in ea præſunt, & da virtutem, ut ſermone & opere laborent ipſi ad ædificationem populi tui (141). Cultum idolorum ab omni orbe procul remove: Satanam & omnem virtutem ejus peſſimam contere, & dejice ſub pedibus noſtris velociter: hæreſes, & auctores earum compeſce, ut reſcindatur, & abrumpatur omnis hæretica pravitas, Eccleſiæ tuæ ſanctæ inimica. Domine, ſicut olim, ita & nunc eas deprime; aufer illas hæreticis: tenebras cordis ſui, miſeriamque ipſis ſuam perſpicue demonſtra: compeſce invidiam eorum, conſilia, machinationes, dolos, & detractiones, dextraſque, quibus adverſum nos abutuntur, imbelles omnino eſſe jubeto (142). Vide quoniam

 fa-

(140) *S. Franciſc. Aſſiſ. in expoſit. Orat. Dom. Tom. 1. Opuſculorum.* (141) *S. Hippolyt. Epiſc. de Chariſmat.* (142) *Liturgia Coptica, quæ Baſilii M. nomine circumfertur.*

facti ſumus opprobrium vicinis noſtris, ſubſannatio & irritatio iis, qui ſunt in circuitu noſtro (*Pſ.* 78.), quoniam ingreſſæ ſunt doctrinæ malæ in hæreditatem tuam ... Domine Deus noſter da pacem nobis, quam perdidimus, præceptorum tuorum neglecta cura .... Increpa ventis & mari, & da tranquillitatem Eccleſiæ tuæ, & eam a fluctibus libera (143). *Ne tradas, Domine, beſtiis animas confitentes tibi* (*Pſ.* 73.) ... Si offenſus es, ſi iratus es nobis, tu Domine interfice, tu jugula, tu caſtiga nos manu tua. Flagella libenter ſuſcipiemus. Scimus enim, quia *cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis* (*Habac.* 3.). Famem ergo, peſtilentiam, ægritudines varias, dolores libenter de manu tua ſuſcipiemus. Ecce in flagella parati ſumus. Tantum, Domine, beſtiis ne tradas nos. Exurge ergo Domine, libera nos propter nomen tuum. Propter te, propter te fiat, non propter nos. Memento dolorum tuorum, & paſſionis acerrimæ: memento Sanguinis, quem effudiſti pro nobis: memento laborum & dolorum tuorum: memento etiam ſanguinis Sanctorum tuorum, qui effuſus eſt, & labenti Eccleſiæ tuæ ſuccurre (144).

DIE

(143) *Theodoret. Epiſc. Cyr. in Epiſt. ad Monachos Tom. 9. Biblioth. PP. juxta edit. P. Galland.* (144) *S. Thomas a Villan. Conc. in Rogat.*

DIE XIV. MENSIS.

I.

Se Dei ſervum dum profitetur, dolet quod ipſi non ſervierit in timore.

O Domine, Domine, ecce ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ. Quia etſi peccator, tamen filius ſanctæ Eccleſiæ tuæ. Sed quid dixi, qua audacia præſumpſi *me* nominare ſervum tuum, cum ſervum me non ignorarem peccatorum? Omnis enim qui facit peccatum, ſervus eſt peccati; ego autem indeſinenter peccare non deſiſto: ſervus ergo ſum peccati: quomodo ergo me ſum auſus nominare ſervum tuum? Non utique hoc dicerem, niſi quia de tua ineffabili miſeratione præſumpſi ut hæc dicere auderem, quia etſi ſervus peccati ſum propter infirmitatem, quam ſuſtineo ex iniquitate, tamen ſervus tuus ſum per deſiderium, quod mihi præſtitum eſſe gaudeo ex tua venerabili bonitate. Servus ergo tuus ſum, Domine, & ſi non opere & converſatione, certe affectu & voluntate. Sed in hoc miſerabilis ſum, & valde deflendus, quia cum me ſervum tuum eſſe cognoſcam, honorem Domini, ſicut mihi expediret, tibi deferre non ſtudeo. ... Domine meus, Domine

meus, quare tu cum ſis Dominus meus, non vivo ſicut debet vivere ſervus tuus? Te Deum meum cognoſco, & ſervus tuus eſſe deſidero (145). Vere Dominus meus es, & ego pauper ſervus tuus, qui totis viribus teneor tibi ſervire, nec unquam in laudibus tuis debeo faſtidire. Sic volo, ſic deſidero: & quidquid mihi deeſt, tu digneris ſupplere (146). Rogo te, Domine piiſſime, ut me miſerum ac fragilem a tua non repellas gratia; & qui hucuſque longe a tua voluntate vitioſus diſceſſi, deinceps per ineffabilem miſericordiam tuam emendatus, tuæ placeam feliciter Majeſtati. Depelle a me, Domine, quidquid noxium, quidquid ineptum, quidquid vitioſum, quidquid tuæ voluntati eſt contrarium. Concede mihi, Domine, ut mala mea hic dum vivo digne defleam, & acceptabilis ſit pœnitentia mea in conſpectu tuo... Noli me derelinquere, piiſſime Domine, ſed indulge miſericorditer quod impie geſſi, & quæ negligenter feci (147).

II.

(145) *S. Anſelmus in lib. Medit. medit.* 20. (146) *Thomas a Kempis de Imit. Chriſti lib.* 3. *cap.* 10. (147) *Ex variis Oration. S. Petri Dam. Tom.* 4. *Operum ejuſd.*

II.

Peccata ſua deflet, eorumque veniam petit.

EXpandam, Domine, coram miſericordia tua amaritudines animæ meæ, quibus circumdata eſt ex abundantia iniquitatum ſuarum. ... Iniquitates enim meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave gravatæ ſunt ſuper me: mens mea malitiæ felle inebriata eſt, & anima mea pondere ſcelerum incurvata eſt: animus meus vitiorum luto fœdatus eſt, & cor meum injuſtitiæ tabe repletum eſt: anima mea peccatorum nexibus irretita eſt, & tota ſubſtantia mea mole criminum oppreſſa eſt. ... Heu mihi! quare vel una hora, poſtquam natus fui, in hoc mundo manere debui, ut tanta a me mala contra Deum deberent exerceri (148)? Væ mihi ob tanta mala! Luge, miſera anima (149). O lacrymæ ubi vos ſubtraxiſtis? O lacrymæ ubi eſtis? Ubi eſtis fontes lacrymarum? ... Fontes lacrymarum fluite ſuper faciem meam, rigate maxillas meas. Date mihi planctum amarum (150). Erumpite, o dulciſſimæ lacrymæ, erumpite: curſum veſtrum nullus impediat. Riga-

(148) *S. Anſelmus Medit.* 20. (149) *Incertus Auct. inter Op. Chryſ. Tom.* 12. (150) *In lib. de modo bene vivendi ſerm.* 27. *inter Op. S. Bernardi.*

te ſacratiſſimas plantas Domini mei, Salvatoris mei, ſuſceptoris mei (151). Exitus aquarum deducite oculi mei: operiat confuſio faciem meam, vultum meum pudor ſuffundat, occupetque caligo. Deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus (152). Flete ſuper me, cælum, & terra, plorate me omnes creaturæ; & quæ poteſtis ſenſum vitæ habere, lacrymas effundite ſuper me. Peccavi enim graviter, peccavi infeliciter, peccavi miſerabiliter: innumerabilia ſunt peccata mea. Ut bene viverem, ultro promiſi: ſed bona quæ promiſi, numquam ſervavi. Semper ad peccatum meum redii, ſemper peccata mea multiplicavi, ſemper delicta mea iteravi. Nunquam in melius mores mutavi. A malis factis numquam ceſſavi (153). Quis mihi in tanta miſeriarum profunditate conſtituto ſubveniet? ... Adibo patrem meum, tametſi indignus filius: adibo illum poſt diſſipatam ab illo mihi datam innocentiam, ... & dicam ei: Pater, jam non ſum dignus vocari filius tuus: de filii dignitate non præſumo certare, ſed cum ſervis miſericordiam quæro (154). Miſericordia indigeo, fugitivus redeo, pacem quæro (155). Procumbo ſupplex, & fundo la-

(151) *S. Bernardus Homil. infr. Oct. Epiph.* (152) *Idem ſerm. 16. in Cantica.* (153) *Lib. de modo bene vivendi inter Op. S. Bernardi ſerm.* 27. (154) *S. Anſelmus Medit.* 20. (155) *S. Aug. enar. in pſ.* 142.

lacrymas : nec enim dignus ſum, ut in cælum oculos attollam. At tu miſerere mei, Pater miſericordiæ, & eſto propitius te invocanti ſervo tuo (156). Exaudi, Domine, fletum meum, & ſuſcipe verba deprecationis meæ.... Ne feceris mihi, obſecro, ſecundum cuncta opera mea, neque memineris iniquitatum mearum, quibus ego gratiam tuam, benigniſſime Domine, irritavi.... Juraſti, hominum amator optime, pro tuis miſerationibus, te mortem peccatoris nolle; ſed potius ut converteretur, & viveret (*Ezech.* 18.). Miſerere igitur mei peccatoris, qui adjuro te per miſericordiæ tuæ viſcera, ut mihi propitius ſis, atque ignoſcas.... Reſpice, o Chriſte Salvator, fontes lacrymarum mearum, contritioneſque ac gemitus indignæ animæ meæ. ... Me reſpice ut longanimis, & miſericors Dominus (157)...

III.

Sanctiſſimæ ſupplicat Dei Genitrici.

O gloria filiarum, matrum decus, ... propitia ſis ſervorum tuorum, qui auxilium tuum implorant, deprecationibus. Intercede pro nobis apud Filium tuum Deumque

(156) *S. Greg. Nazianz. in lib. Carminum, carm.* 14. (157) *S. Ephrem. Syrus ſerm. de timore animi.*

que tuum, uti peccata noſtra condonet, infirmitati noſtræ opituletur, liberet a Pharaone ſpirituali, ſicut liberavit Iſraelitas a gurgite, tranſire nos faciat hujus mundi mare, fluctibus furens, ventis abundans... O tu Maria, cujus non repellitur interceſſio, nec recuſatur oratio; quæ ſimplici Divinitati proxima es, & propius ad Trinitatem ſanctam accedens; quæ altitudine cherubicis turmis ſublimior es, & ſeraphicis agminibus excelſior: per te, quamdiu in hoc pereunte mundo manebimus, auxilium ad bona opera facienda conſequamur, liberemurque ab actibus ſceleratis; & poſt noſtrum inde tranſitum, ad Deum excelſum ſempiternumque perveniamus ad voluptatem regni cælorum (158).

DIE XV. MENSIS.

I.

Rubore ſuffunditur, quod maximis Dei beneficiis non reſpondit.

AH Domine Deus, Pater miſericordiarum, audeo ne venire, & apparere in conſpectu Sanctorum tuorum infeliciſſimus & mi-

(158) *S. Joan. Damaſc. Homil. in Angeli Annunciationem.*

miſerrimus, tot & tantorum beneficiorum tam ingratus, donorum tuorum tam impudens, & tam execrabilis abuſor? Qui toties ac tandiu ipſis beneficiis tuis te impugnare non veritus ſum: qui ſtipendiis tuis diabolo contra te militare toties & tamdiu non erubui: qui ipſa dona tua in arma diabolica convertere non timui: qui me ipſo tam abominabiliter abuti præſumpſi, ac me ipſum ſervum auſus ſum exhibere diabolo, & membra mea ejuſdem facere, quibus te creatorem, auctorem, & membrorum meorum largitorem impugnavi. ... Ego ſum ille homo dementiſſimus, quem de nihilo creaſti, & de maſſa peccati & perditionis in filium gratiæ tuæ elegiſti, & in fratrem, & in cohæredem cariſſimo unigenito filio tuo Deo, & Domino noſtro Jeſu Chriſto adoptaveras, & ad honorem & gloriam regni tui, & tanta tam indebitæ gratiæ tuæ largitate me impleviſti; qui & abundantiam hujus tantæ ſuavitatis tuæ oblitus ſum, & tanta bona mihi tradita a te proſpiciens, ſpreto honore regni cæleſtis, & gloria tua, me in ſpurium filium & degenerem converti ... Ego ſum cæcus mercator, qui pretioſiſſimis talentorum tuorum divitiis tantam miſerabilis inopiam, & nuditatem, & æterna ſuſpiria mercatus ſum, ... æternam lucem æternitatis tenebris; æterna gaudia æternis doloribus; & æternam gloriam æterno opprobrio; & regnum tuum diabolica ſervitute commutavi. ... Nunc

mi-

miſericors Pater, ad te confugio, ſciens quod non eſt mihi fuga a te niſi ad te.... Igitur ſuſcipere me dignare, Domine, revertentem ad te. Averte, obſecro te, oculos ſanctos ab ingratitudinibus meis.... Ad fontem illum miſericordiæ convertere; cujus miſericordiæ non eſt numerus, nec finis: & pio ac ſereno vultu reſpice me creaturam tuam. Creatura tua ego ſum, Domine, & opus manuum tuarum (159). Adjuvet me amor tuus, remittendo quæ inique egi, & inflammet ad amorem tuum dulciſſimum, ut te timendo, & efficaciter diligendo, tibi placita agam feliciter, & adimpleam; iniqua autem toto corde, & opere reſpuam, ut ad regnum perpetuo te amantium perveniam ſempiternum. Amen. (160).

I I.

Quærit regnum Dei.

BOne Jeſu, Verbum Patris, ſplendor paternæ gloriæ, in quem deſiderant Angeli proſpicere, doce me facere voluntatem tuam, ut a ſpiritu tuo bono deductus, ad beatam illam perveniam civitatem, ubi eſt dies æternus, & unus omnium ſpiritus: ubi eſt

(159) *S. Anſelm. in lib. Medit. medit.* 7.
(160) *Raymundus Jordanus, ſeu Idiota lib. de Contemplat. divini amoris cap.* 2.

eſt certa ſecuritas, & ſecura æternitas (161). Tuum eſt dare regnum, quoniam ad hoc feciſti ut dares, ad hoc veniſti ut dares, & tibi a Patre commiſſum eſt ut dares. A mea petitione non deſiſto, de tua pietate non diffido; ſed genibus tuis provolutus, cum fiducia, cum ſpe magna clamo quotidie, quotidie peto: *Adveniat regnum tuum*, poſſeſſio tua, gloria tua (162). Cum acceperis me, & auferes de medio umbræ mortis, ... colloca me in caulis tutiſſimis gregum tuorum, quia tu es Paſtor bonus, qui requiris & reducis perditam ovem: tueris & ſalvas inventam: ſanas & foves languidam. Et tu es miſericors Dominus, qui ſperantes in te non confundis: requirentes te non derelinquis: revertentes ad te non reſpuis; ſed exultando & laudando ſuſcipis, atque in æterna beatitudine una cum Sanctis, & electis tuis æternaliter regnare concedis (163). Hanc gloriam ſempiternam ex illo tuo largiſſimo munere, clementiſſime Deus, largire *mihi* infallibiliter quærere, infallibiliter invenire, ac perenniter poſſidere, ut poſſim te infallibilem veritatem facie ad faciem contemplari; te infallibilem bo-

(161) *S. Greg. Pap. in fine expoſit. ſept. Pſal. pœnit.* (162) *S. Thomas a Villan. Conc. in fer. 4. poſt Dom. 2. Quadrag.* (163) *S. Paulin. Aquilej. in exhort. ad Henricum Duc. Forojul. cap. 66.*

bonitatem ſempiterna fruitione amare (164). En ad oſtium tuum, ſumme Paterfamilias, mendicus pulſo. Jube aperiri pulſanti, qui dixiſti: *pulſate, & aperietur vobis* (*Matth.* 7.). Pulſant ad oſtium tuum, Pater miſericordiſſime, deſideria rugientium præcordiorum meorum, & clamores lacrymarum oculorum meorum. *Ante te eſt omne deſiderium meum, & gemitus meus a te non eſt abſconditus* (*Pſ.* 37.). ... Pater miſericordiarum, audi ejulatum pupilli tui, & porrige manum tuam optimam adjutricem, ut trahat me de profundis aquarum, & *de lacu miſeriæ, & de luto fæcis* (*Pſ.* 39.), ne peream vidente miſericordia oculorum tuorum, adſpiciente clementia viſcerum tuorum; ſed vadam ad te Dominum Deum meum, ut videam divitias regni tui, & intuear faciem tuam ſemper, & laudem dicam nomini tuo ſancto (165).

III.

Deiparam Virginem ſibi in Matrem eligit.

AVe Maria, gratia plena, Dominus tecum. ... Ave ſingularis ſpes egenorum. Ave benigna Mater orphanorum. ... O Maria di-

(164) *S. Bernardinus in Quadrageſimal. de Chriſtiana Relig. ſerm.* 57. (165) *Lib. Soliloq. animæ ad Deum in Append. Oper. Aug. cap.* 37.

dilecta, & dulcis Mater! Tu es præclariſſima maris ſtella, quæ univerſos in te reſpicientes, & ad te clamantes conſolaris, & ad portum tranquillitatis citius perducis. Ad te ergo hodie confugio, & a te juvari ſuppliciter expoſco; quia quidquid volueris, a Filio tuo facile impetrabis. Si tu, o glorioſa Domina, pro me fueris, quis ſtabit contra me? Et ſi mecum gratiam feceris, quis eſt qui me repellere queat? Expande igitur nunc brachia tua ſuper me, ut fugiam ſub eis. Dic animæ meæ: *Advocata tua ego ſum, noli timere. Sicut mater conſolatur filium ſuum, ita ego te conſolabor*. Vox tua hæc eſt, o dulcis Virgo Maria. Quis det cordi meo eam ſemper audire? Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! Loquere Domina mea ad cor ſervi tui, quia audit ſervus tuus. Servus tuus ego ſum, & Filii tui. Amplius dico: Mater mea tu, & frater meus Jeſus Filius tuus. Fidenter dixerim; quia non tantum tibi, ſed & toti mundo ipſum genuiſti. Nolo idcirco Matrem mihi vocare ſuper terram, recuſo aliam habere, præter te ſolam Dei Genitricem. Non eſt ſimilis tui in virtute & decore; in charitate & manſuetudine; in pietate & dulcedine; in fidelitate & materno ſolamine; in miſericordia & miſerationibus multis. Hodie te eligo & aſſumo. Hodie me tibi fiducialiter trado, & iſtud in æternum per te confirmari deſidero. Sufficit enim mihi in-

fir-

firmo, ſi tecum bene confœderatus fuero. Propterea lætabor & conſolabor copioſe in te, & nomini ſancto tuo magnifice laudes perſonabo (166).

DIE XVI. MENSIS.

I.

Se omni virtute deſtitutum agnoſcens, ad Deum confugit omnium bonorum largitorem.

QUo me vertam, miſericors & miſerator Pater, qui nihil dignum reſpectu miſericordiæ tuæ offero Majeſtati tuæ? Quo fugiam, piiſſime Pater, qui ſum vacuus omni bono, & tam plenus omni malo, appareo ante conſpectum Sanctorum tuorum, & ſanctarum militiarum exercituum cæleſtium (167)? Nihil quod tibi offeram habeo, non opus bonum, neque cor mundum: verum miſerationibus tuis confiſus, in eas meipſum projicio, ut cor mundum in me crees, & ſpiritu principali confirmes me, ne iterum... in peccatum relabar, ſed ex hoc tempore ſerviam tibi in ſanctitate, & juſtitia, omnibus die-

(166) *Thomas a Kemp. in Opuſc. Orat. piar. orat.* 4. (167) *S. Anſelm. Medit.* 7.

diebus vitæ meæ (168). An expectas, dulciſſime Pater, & differs reſpicere in me, & miſereri mei, quouſque ſecundum miſericordiam tuam dignus ante te appaream? ... Ecce cæcum ad illuminandum offero omnipotenti miſericordiæ tuæ, & languidum ad ſanandum... Non aliquid aliud poſſum, clementiſſime Deus, offerre tibi, niſi memetipſum qualis ſum, & oſtendere mortem, & vulnera mea, nuditatem, & paupertatem meam.... Oſtendo itaque oculos tuæ miſericordiæ, ſi quomodo convertaris & ignoſcas, & infundas gratiam beatitudinis tuæ ſuper me. Nec enim convertere me poſſum ad te tot & tantis vulneribus, & ægritudinibus, & morte ipſa depreſſus, & impotens effectus. Sed tu, miſericors Pater, converte me, & convertar ad te. Converte me, Domine, ad te, & contere, & contribula cor meum, & ſenſus vivifici doloris immitte. Non enim eſt fons bonorum præter te. Non eſt a quo accipiam amorem, & timorem, & dolorem & pudorem, quibus coram te miſericordia dignus inveniar, niſi de prælarga miſericordia tua ſuper me indigniſſimum gratiam effuderis.... Fac me totis viſceribus ſervire tibi ſoli, toto ſtudio quærere quæ beneplacita ſunt coram te, cui ... omnis honor & gloria in ſæcula ſæculorum. Amen. (169).

II.

(168) *S. Ephrem. Syr. ſerm. de patientia, & conſummatione hujus ſæculi.* (169) *S. Anſelm. in Medit.* 8.

II.

Benedictionem a Deo efflagitat de rore cœli.

DOmine, *anima mea ſicut terra ſine aqua tibi* (*Pſ.* 142.) ... Nullos virtutum germinat affectus; nullos bonorum operum produxit fructus; cæleſtium gaudiorum fœcunditate non viret; ſpiritualium deſideriorum germine non vernat: ſed velut arida terra, vacua germinibus ſordet, & vertitur in ſalſuginem. Emitte igitur Domine de cælo ex nubibus æternitatis tuæ pluviam illam voluntariam, quam ſegregaſti hæreditati tuæ (*Pſ.* 67.); rorem aquæ vivæ, cui non communicat alienus, & hanc animæ *meæ* complue terram, ut grata tibi virtutum germina, placidos ſapientiæ flores, vernantes purpuranteſque charitatis roſas, humore ſpiritus fœcundatas valeat germinare. *Ros* enim *lucis ros tuus* (*Iſ.* 26.); ſterilitatem auferens, fœcunditatem tribuens, mentem inebrians, amiſſumque animæ virorem reſtituens: hunc, inquam, tuæ benedictionis rorem, quo tuam hæreditatem irrigaſti, ... emitte, & creabuntur in *me* affectus ardentes, deſideria viva, cogitationes flammantes, amores igniti, ſenſus cæleſtes, affectiones puræ (170).

III.

(170) *S. Thom. a Villan. conc. 3. in Dom. Pent.*, *& lib. Soliloq. inter Op. Aug. in App. cap.* 13.

I I I.

Chriſti amorem collaudat, eumque redamandi deſiderio æſtuat.

O miſericordiſſime Domine Jeſu Chriſte, qui omnem amorem ſuperas, cogitare non valeo quanta dilectione me amaſti, & quam liberaliter & gratis (171). Dilexiſti me, Domine, pluſquam te, quia mori voluiſti pro me: tam caro pretio redemiſti me, de ſupplicio revocâſti me, de ſervitio retraxiſti me (172). Licet te diverſis modis offenderem, nec a peccatis ceſſarem, tu tamen diſſimulabas, nec ad puniendum me accelerabas. Imo tamquam ovem errantem, & pereuntem, ut ſacris humeris imponeres, requirebas præ incomprehenſibili amore, quo cuncta quæ feciſti, amas (173). O amor, o liberalis charitas, o veneranda Majeſtas! Quæ tanti cauſa amoris? Quid merui? Quid feci? Quid poſſum? Premunt me dona tua; ubique mihi ſe offert dilectio tua. Ades præſentia, gubernas me tua ſapientia, patientia ſuffers, bonitate trahis, & charitate accendis (174). Domine Jeſu, fortiſſime zelotes, quid gratiarum, quid re-

(171) *Idiota de contemplat. divini amoris cap.* 7. (172) *S. Thom. a Villan. conc.* 1. *in Dom.* 2. *Advent.* (173) *Idiota loc. cit.* (174) *S. Laurent. Juſtin. de Incendio divini amoris cap.* 10.

retributionis digne retribuam ego homo, pulvis, & cinis, & vile figmentum (175)? Unde te amabo, niſi tu Domine dederis amorem tuum? ... De cælo ergo mitte ignem in oſſibus meis, & liqueſcant amoris tui calore medullæ oſſium meorum intra me, & anima mea ut cera in tui deſiderio liquefiat (176). Dulcis Chriſte, bone Jeſu, reple ſemper, quæſo, cor meum inextinguibili dilectione tua, continua recordatione tua; adeo ut ſicut flamma urens totus ardeam in tui amoris dulcedine, quem & aquæ multæ in me nunquam poſſint extinguere . ... Dulcis Chriſte, bone Jeſu, charitas, Deus meus, accende me totum igne tuo, amore tuo, ſuavitate, & dulcedine tua, jucunditate & exultatione tua (177). Domine mi amantiſſime Jeſu, præſta, quæſo, ut poſſim te amare. Domine mi amantiſſime Jeſu, ego volo te amare, ſed nequeo ſine te. Domine mi Jeſu, accende me amore tui (178). Ego miſerabilis peccator, oneratus magno pondere peccatorum, magnam ſitim amoris patior: quia a te fonte vivo nimium ſum elongatus. Reſpicere ergo me digneris miſericorditer, & deducere me ad te fontem amoris, & dilectionis, ut hauriam

aquam

(175) *S. Anſelmus Medit.* 9. (176) *S. Thomas a Villan. conc.* 1. *in Dom.* 2. *Advent.* (177) *S. Anſelmus in lib. Oration. orat.* 17. (178) *S. Bernardinus in ſermon. extraord. ſerm.* 11. *de converſione ad Jeſum parte* 3.

aquam tanti amoris tui; illam bibam, illa recreer; illius ſuavitatem & ſaporem deguſtem. Ex illa lavetur & mundetur anima mea ab omni macula peccati; ut mundata ab omni inquinamento, tibi placeat, & tibi ſerviat (179). Rogo te per illa ſalutifera vulnera tua, quæ paſſus es in cruce pro ſalute noſtra, ex quibus emanavit ille pretioſus ſanguis, quo ſumus redemti, vulnera hanc animam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es: vulnera eam igneo & potentiſſimo telo tuæ nimiæ caritatis: ... confige cor meum jaculo tui amoris, ut dicat tibi anima mea: caritate tua vulnerata ſum (180). Abſorbeat, quæſo Domine, mentem meam ab omnibus, quæ ſub cælo ſunt, ignita & melliflua vis amoris; ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori (181).

(179) *Idiota de Contemplat. divini amoris cap.* 4. (180) *S. Anſelm. orat.* 19. (181) *S. Franciſcus Aſſiſ. in Opuſc. Tom.* 1.

DIE XVII. MENSIS.

I.

Profitetur ſe in ſola Dei bonitate confidere, cum ad Altaris Sacrificium accedit.

SUper bonitate tua, & magna miſericordia tua, Domine, confiſus, accedo æger ad Salvatorem, eſuriens & ſitiens ad fontem vitæ, egenus ad Regem cæli, ſervus ad Dominum, creatura ad Creatorem, deſolatus ad meum pium conſolatorem. Sed unde hoc mihi, ut venias ad me? Quis ego ſum, ut præſtes mihi te ipſum? Quomodo audet peccator coram te apparere? & tu quomodo dignaris ad peccatorem venire? Tu noſti ſervum tuum, & ſcis quia nil boni in ſe habet, unde hoc illi præſtes. Confiteor igitur vilitatem meam, agnoſco tuam bonitatem, laudo pietatem, & gratias ago propter nimiam charitatem. Propter temetipſum enim hoc facis, non propter mea merita, ut bonitas tua mihi magis innoteſcat, charitas amplior ingeratur, & humilitas perfectius commendetur. Quia ergo tibi hoc placet, ac tu ſic fieri juſſiſti; placet & mihi dignatio tua: & utinam iniquitas mea non obſiſtat! O dulciſſime, & benigniſſime Jeſu, quanta tibi reverentia, & gratiarum actio

cum

cum perpetua laude pro ſuſceptione ſacri Corporis tui debetur, cujus dignitatem nullus hominum explicare potens invenitur? Sed quid cogitabo in hac communione, in acceſſu ad Dominum meum, quem debite venerari nequeo, & tamen devote ſuſcipere deſidero? Quid cogitabo melius & ſalubrius, niſi me ipſum totaliter humiliando coram te, & tuam infinitam bonitatem exaltando ſupra me? Laudo te, Deus meus, & exalto in æternum: deſpicio me, & ſubjicio tibi, in profundum vilitatis meæ. Ecce tu ſanctus ſanctorum, & ego ſordes peccatorum. Ecce tu inclinas te ad me, qui non ſum dignus ad te reſpicere. Ecce tu venis ad me, tu vis eſſe mecum, tu invitas ad convivium tuum. Tu mihi dare vis cæleſtem cibum, & panem Angelorum ad manducandum: non alium ſane, quam te ipſum panem vivum, qui de cælo deſcendiſti, & das vitam mundo. ... Tu Domine univerſorum, qui nullius habens indigentiam, voluiſti per Sacramentum tuum habitare in nobis, conſerva cor meum, & corpus meum immaculatum, ut læta, & pura conſcientia ſæpius tua valeam celebrare myſteria, & ad meam perpetuam accipere ſalutem, quæ ad tuum præcipue honorem, & memoriale perenne ſanxiſti, & inſtituiſti (182).

(182) *Thom. a Kemp. de Imit. Chriſti lib. 4. cap. 2.*

II.

Auguſtiſſimam Trinitatem enixe orat.

Adeſto Sancta Trinitas, Deus unus omnipotens, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, qui non mortem, ſed pœnitentiam deſideras peccatorum, me miſerum, & peccatorem fragilem, & indignum a tua non repellas pietate. Non aſpicias ad ſcelera mea, & immunditias, turpeſque cogitationes, quibus flebiliter a tua disjungor voluntate, ſed effunde ſuper me largam benignitatis tuæ clementiam.... Miſerare pondere facinorum oppreſſum, cunctarumque nequitiarum labe pollutum. Concede mihi, quæſo, miſero gratiam tuam, & libera me ab omnibus malis præteritis, præſentibus, & futuris, a ſubitanea, & perpetua morte,... & ab omni peccato. Dele crimina mea, iniquitates, offenſiones, & negligentias meas. Propitiare mihi in omnibus anguſtiis & tribulationibus, in neceſſitatibus, & tentationibus, in omnibus periculis, & infirmitatibus meis.... Trine Deus, & une, humilis ſervuli tui preces nunc ſuſcipe..... Exaudi me orantem, ſicut exaudiſti Jonam de ventre ceti: libera me, qui liberaſti Suſannam de falſo crimine. Exaudi me, ſicut exaudiſti Petrum in mari, Paulum in vinculis. Auxiliare mihi, quæſo, Domine, & ab omni malo indeſinenter libera me, a faucibus dæ-

monum eripe, a morte perpetua ſubtrahe, gratiæ tuæ abundantia reple.... Immenſam miſericordiam tuam, miſericors Deus, & miſerator, iterum exoro, remitte mihi omnes lubricæ temeritatis offenſas; ut anima mea benignitatis tuæ dulcedine repleatur, & conceſſa venia plenæ indulgentiæ, quidquid proprio reatu deliqui, totum per ineffabilem pietatem tuam dele & abſterge.... Sana vulnera, cunctaque remitte peccata; ut nullis a te iniquitatibus ſeparatus, ſed ſemper hîc, & ubique defenſionis tuæ auxilio munitus, tibi Domine ſemper valeam adhærere, & perpetuæ gloriæ quandoque portionem percipere (183).

III.

Divini Redemptoris Matrem invocat.

TRahe me poſt te, o benedicta Virgo Maria.... Trahe me torpentem, ut me reddas currentem. Trahe me peccantem, ut me reddas pœnitentem (184). Sed, o pulcherrima mulierum, qua temeritate audeo venire ad te ego turpis cogitatione, & opere; ad te mundam, ego immundus; ad te immaculatam, ego maculatus; & non ſolum macula-

E 3 tus,

(183) *S. Anſelm. in lib. Orat. orat.* 1. (184) *Raymundus Jordanus ſub Idiotæ nomine in lib. cui titulus: Opus plenum de B. V., parte* 1. *cap.* 1.

tus, ſed & vulneratus; imo non ſolum vulneratus, ſed etiam in conſpectu tuo, & benedicti Filii tui mortuus propter innumerabilia peccata, quæ cogitatione, conſenſu, & opere longis temporum ſpatiis contraxi, & ita animam meam per ſuſceptionem ſacri lavacri purificatam, multipliciter fœdavi, & ſordibus vitiorum inquinavi; adeo ut abominabilis facta ſit & tibi, & Filio tuo ſuperbenedicto. In tua autem pietate confidens, ... te ſupplici corde precor, ut animæ meæ pio compaſſionis affectu apud miſericordiſſimum Filium tuum intercedere digneris, quo eam immundam mundet; & ſicut ipſam puram fecit per Baptiſmum, ita rurſum hoc tempore puram reddat per pœnitentiæ, & reconciliationis gratiam: ut tandem cum electis tuis vitam ad te, & ſuperbenedictum Filium tuum laudandum obtineam ſempiternam. Amen. (185).

DIE XVIII. MENSIS.

I.

Divinum expoſtulat auxilium.

DOmine Deus meus, da cordi meo te deſiderare, deſiderando quærere, quæren-

(185) *Idem lib. cit. parte 2. cap. 3.*

rendo invenire, inveniendo amare, amando mala mea redimere, redemta non iterare: da, Domine Deus meus, cordi meo pœnitentiam, ſpiritui contritionem, oculis lacrymarum fontem .... Rex meus, extingue in me deſideria carnis, & accende ignem tui amoris. Redemptor meus, expelle a me ſpiritum ſuperbiæ, & concede mihi propitius ſpiritum humilitatis tuæ. Creator meus, evelle a me animi rancorem, & largire mihi mentis dulcedinem. Da mihi, clementiſſime Pater, ſolidam fidem, ſpem congruam, charitatem continuam. ... Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, confige timore tuo carnes meas: quatenus quæ minaris, metuendo evadam; & redde mihi propitius lætitiam ſalutaris tui, ut quæ ſpondes, diligendo percipiam. Fortitudo mea, Domine, firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, ſuggere mihi quid de te cogitem, doce quibus te ſermonibus invocem, da quibus operibus te placem (186). Deus omnipotens, Pater Chriſti tui, unigeniti Filii tui, da mihi corpus immaculatum, cor mundum, mentem vigilem, cognitionem non errantem, Spiritus Sancti adventum ad poſſeſſionem, & certam fidem veritatis, per Chriſtum tuum, per quem tibi gloria in Sancto Spiritu, in ſæcula (187).

(186) *S. Anſelm. in lib. Orat. orat.* 10.
(187) *Lib.* 7. *Conſtit. Apoſtol. cap.* 45.

II.

Ad æternam Dei domum aſpirat.

O Civitas ſancta, civitas ſpecioſa, de longinquo te ſaluto, ad te clamo, te requiro. Deſidero enim videre te, & requieſcere in te (188). Die noctеque plorabo, donec perveniam ad te: nunquam de meo corde tua excidet memoria, quoniam non conceditur præſentia. O pulchra nimis, & decora regio! *Si oblitus fuero tui Jeruſalem, oblivioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi non meminero tui: ſi non propoſuero te Jeruſalem, in principio lætitiæ meæ* (*Pſ.* 136.). In capite omnium mearum delectationum hæc mihi pars, hæc cura erit, quotidie ſtationes tuas animo luſtrare, verſare corde, oculis fidei viſitare, uſque dum liberatus ab hoc ergaſtulo tibi merear aſſociari in jucunditate, in pace, in ſecuritate, in gaudio & gloria (189). O domus luminoſa, & ſpecioſa, dilexi decorem tuum, & locum habitationis gloriæ Domini mei fabricatoris, & poſſeſſoris tui. Tibi ſuſpirat peregrinatio mea, & dico ei qui fecit te, ut poſſideat & me in te, quia fecit & me (190). Imo tu dic, tu

(188) *Lib. de Spiritu, & Anima incerti Auct. inter Op. Aug. in Append.* (189) *S. Thom. a Vilian. Conc. in Dom. 3. poſt Pent.* (190) *S. Aug. lib. 12. Confeſſ. cap. 15.*

tu toga, ut dignum me faciat participationè gloriæ tuæ. Sanctam enim ſocietatem tuam, & mirabilem pulchritudinem tuam non per meritum requiro, ſed per ſanguinem ejus, quo redemtus ſum, adipiſci non deſpero: tantum adjuvent me merita tua, ſubveniant pravitati meæ ſanctæ, & piiſſimæ, & puriſſimæ orationes tuæ, quæ inefficaces apud Deum nullatenus eſſe poſſunt .... Erravi, fateor, ſicut ovis perdita, ... ſed in humeris Paſtoris mei, ſtructoris tui, ſpero me reportari tibi, ut tripudiem in te cum illo inenarrabili gaudio, quo lætantur illi, qui tecum ſunt coram ipſo Deo & Salvatore noſtro (191). Utinam conceſſa mihi peccatorum venia, moxque hac carnis ſarcina depoſita, utinam, utinam in tua gaudia veram requiem habiturus intrarem, ... ut illis ſanctiſſimis choris intereſſem, ut cum beatiſſimis ſpiritibus gloriæ Conditoris aſſiſterem, ut præſentem Chriſti vultum cernerem, ... ſicque nullo metu mortis affici, ſed de incorruptionis perpetuæ munere lætari poſſem ſine fine (192). O bona Domini dulcia, immortalia, incomparabilia, ſempiterna, incommutabilia! Et quando vos videbo, bona Domini? Credo videre, ſed non in terra morientium. *Credo videre bona Domini in terra viventium* (*Pſ.* 26.). Eruat me Dominus a terra morientium, qui propter me dignatus eſt

E 5 ſu-

(191) *Lib. Medit. in Append. Op. Aug. cap.* 20. (192) *Lib. cit. Medit. cap.* 22.

ſcipere terram morientium, & mori inter manus morientium; eruat me Dominus de terra morientium (193).

III.

Sanctos invocat.

VOs omnes Sancti, filii miſericordiæ, pueri Domini Salvatoris, jam cum eo quieſcentes in æterna requie, ... vos ego peccator appello. (194). Obſecro vos, o Cives Jeruſalem, adjuro vos per pacem Jeruſalem, per Redemtorem, per ſtructorem, per rectorem Jeruſalem, ut convertatis pro me preces ad Deum (195). In loco refrigerii, lucis & pacis vos eſtis; ... ego vero in regione umbræ mortis neſcio finem meum, neſcio ſi dignus ſim amore, vel odio, neſcio quando de corpore egrediar. ... Timeo & paveſco ultimam diſcuſſionem & iram diſtricti Judicis, ne pro peccatis meis mittat me in gehennam ignis. ... Vos igitur qui meruiſtis conſortes fieri ſupernorum Civium, & perfrui æternæ claritatis gloria, orate pro me ad Dominum, ut educat me de iſto carcere, in quo teneor captivus & ligatus (196). Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei; recipite fu-

(193) *S. Aug. Enar.* 2. *in Pſ.* 26. (194) *S. Anſelm. orat.* 39. (195) *S. Aug. Enar. in Pſ.* 147. (196) *Lib. de Spiritu, & Anima &c.*

fugitivum veſtrum, ſed fratruelem, ſed conſanguineum in ſanguine Redemptoris. En pauper ſtat ad oſtium, clamat & pulſat: aperite pulſanti, & conducite eum uſque ad Regem (197). Miſeremini tam indigenti per illam miſericordiam, quam fecit vobis Deus. Succurrite, ne me obvolvat ira Dei cum inimicis ejus (198). Per ipſum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cujus pulchritudine jam ſatiamini, ... intercedite, atque orate conſtanter atque indeſinenter pro *me miſero*, ... ut per veſtras orationes veſtro ſancto conſortio *conjungar*. ... Orate Deum, orate piiſſimi; orate, omnia agmina Sanctorum & univerſi cœtus Beatorum, ut veſtris precibus meritiſque *adjutus*, ... pervenire *merear* ad portum perpetuæ quietis, continuæ pacis, & nunquam finiendæ ſecuritatis (199).

 DIE XIX.

(197) *S. Anſelmus orat.* 36. (198) *Idem orat.* 67. (199) *Lib. Medit. inter Op. Aug. in Append. cap.* 24.

DIE XIX. MENSIS.

I.

A Deo petit quæ in Oratione Dominica continentur.

P*Ater noſter*. Heu me! qualis Pater, & qualis filius! Ignoſce Domine, ignoſce. Audet vilis vermiculus te Patrem nominare? Pater mi, qui feciſti me. Pater, qui redemiſti me. Pater, qui de igne inferni, & tenebris, & umbra mortis liberaſti me. Annon opera Patris hæc ſunt? Sed ubi filius in me? Ubi amor, ubi reverentia, ubi honor, vel ſaltem ubi timor filii in me?... Væ mihi! Pater tu es, ſed filius ego non ſum. Sed numquid Pater ſine filio eſſe poteſt? Filius igitur ſum beneficio tuo, ſed degener filius crimine meo. *Qui es in cælis*.... Ubique præſens, ubique totus.... In cælis ſpecialiter,... quia ibi appares,... quia ibi cerneris, quia ibi manifeſtaris. Ibi eſſe te dico, ibi eſſe te video, ibi præſens es, ibi omnibus appares. *Sanctificetur nomen tuum*.... Nomen tuum ab univerſo mundo, ab omni gente, populo, & natione agnoſcatur, laudetur, benedicatur, & magnificetur. *Adveniat regnum tuum*.... Adveniat gratia tua, per quam regnum tuum, quod

eſt

eſt intra nos, in nobis appareat. Rege tu interiora & exteriora noſtra, cogitationes, affectiones, & opera: & erimus nos tibi regnum. Nutu tuo, voluntate tua cor noſtrum, intentio noſtra dirigatur, & regnum tuum adveniet nobis. *Fiat voluntas tua*. Si in vitam, in vitam; ſi in mortem, in mortem; ſi in altum, in altum; ſi in profundum, in profundum; voluntas tua in me compleatur. Tu fictor meus, & ego lutum. Quidquid tibi placuerit, fiat. Sive vas in honorem, ſive vas in contumeliam, ſive magnus, ſive parvus in domo tua. Quis ego ſum, ut contradicam tibi? *Fiat voluntas tua, ſicut in cælo, & in terra*. Quomodo fit in cælo ſine contradictione, ſine tædio, ſine labore, cum gaudio & exultatione; ſic fiat in terra, ſic tibi homines ſubjiciantur in terra, ſicut Angeli ſubjiciuntur in cælo.... *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*, ... panem dulcedinis tuæ, panem contritionis, panem doctrinæ, panem corporis tui, panem corporis noſtri, alimentum quotidianum, quo quotidie & corpore & mente egemus.... *Et dimitte nobis debita noſtra*. O bone Jeſu, qualia debita? Quanta debita! Quis ſolvere poterit omnia debita? Tibi debemus quod ſumus, quod poſſumus, & quidquid valemus.... Tibi laus, tibi amor, tibi gloria.... tibi denique vita noſtra tota debetur.... Solutio plena fieri non poteſt; reſtat igitur, ut fiat a te debiti remiſſio.... Tibi..

de-

debemus etiam peccata noſtra. Debitores ex dono tuo, debitores ex peccato noſtro. Illa tibi debemus, quæ non tibi reddidimus; & illa debemus, pro quibus exolvere pœnas æternas meruimus. Utrumque nobis debitum remitte: Debitum laudis, debitum criminis. *Dimitte igitur debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*. ... Dimitte magna, quia propter te nos dimittimus parva. *Et ne nos inducas in tentationem. Sed libera nos a malo. Amen*. ... Non ipſe ad malum tentas, ſed permittis. Sic permitte, ut non dimittas. ... *Proba me Domine, & tenta me* (*Pſ.* 25.), verumtamen noli recedere a me. Tentari patiar, ſed vinci non me patiaris. ... Sit mihi Domine tentatio ad coronam, non in ruinam (200).

I I.

Piis, fervidiſque animi affectibus amabilem Jeſum alloquitur.

O Salvator meus, & Deus meus, veniat, veniat, oro, tempus, ut quod nunc credo, revelatis tandem oculis aſpiciam; quod nunc ſpero, & a longe ſaluto, apprehendam; quod nunc pro viribus meis deſidero, ulnis animæ meæ amplectar ac deoſculer, & amoris

(200) *S. Thomas a Villan. Conc. in Dom.* 5. *poſt Paſcha*

ris tui abyſſo totus abſorbear (201). Benigne Jeſu, ... dulcis in ore, dulcis in corde, dulcis in aure, ... ſolus es ſummum bonum (202). O quam decorus es, Domine Jeſu, & quam ſuavis! Decorus, ſed videntibus te; ſuavis, ſed guſtantibus te.... Fac me quærere te, quæſitum invenire te, tentum poſſidere, ut tu ſolus dulceſcas mihi, ſapias, & placeas. Fac me agnoſcere te, timere, amare, deſiderare. In amorem temporalium labi ne ſinas me (203). Adhæreat anima mea poſt te; quia tota virtus ejus pendet ex te (204). Jeſu, qui non amat te, anathema ſit. Qui te non amat, amaritudinibus repleatur. ... O dulcis Jeſu, ... Deus cordis mei, & pars mea Chriſte Jeſu, deficiat cor meum ſpiritu ſuo, & caro a concupiſcentiis ſuis, & vivas tu in me, & concaleſcat in ſpiritu meo vivus carbo amoris tui, & excreſcat in ignem perfectum. Foveat & nutriat illum in me gratia tua, & ardeat jugiter in ara cordis mei (205).

III.

(201) *S. Anſelm. in lib. Medit.*, *medit.* 9. (202) *Idem medit.* 10. (203) *Idem medit.* 12. (204) *Idem medit.* 9. (205) *Idem medit.* 13.

III.

A Divina Matre petit, ut ipſa extremum ſuum ſpiritum excipiat.

O Maria, o unicum poſt Deum, reorum omnium ſolamen, atque ſecurum peccatorum refugium, ... illos tuos miſericordes oculos ad cor meum converte, faciemque illam benigniſſimam, quæ a nullo unquam peccatore ſe avertit, tametſi in deſperationem prolapſo. In tuam me tutelam ſuſcipito, quippe qui a te omnem conſolationem expectem, omnemque ſpem meam in te repoſuerim .... O cunctarum gratiarum Mater, o pietatis Regina, rege me, obſecro, materna tua benignitate ſingulis vitæ meæ momentis, meque defende tuæ virtute miſericordiæ quum in extremis poſitus ſpiritum ero meum redditurus. Hæc illa eſt hora, o clementiſſima Mater, cujus terrore percitus die noctuque lugeo, meque clientulis tuis aſcribi ardenter cupio. Tunc enim mentis impos, quo me vertam ignorabo, aut cujus opem implorem. Propterea, o Maria, o miſericordiæ inexhauſtus fons, lugens ad tuos me pedes converto, & ex intimo cordis mei humiliter a te flagito, ut me in illo extremo articulo tua digneris invicta protectione vallare; unde nec ſpirituales hoſtes ullum mihi nocumentum inferre queant, nec ego in ullum deſperationis la-

queum

queum incidam. ... O unicum meum ſolamen poſt Deum, defendas me tunc, quæſo, a dæmonum inſultibus, a tentationibus ac inſidiis: ſolare humiles gemitus meos, intuere oculis miſerantibus imbecillitatem meam in extremo illo periculo, manum benigniſſimam porrige, ac denique ſerena facie animam meam ſuſcipe, ut ipſa a te, & per te coram divino Judice, ac Redemptore ſiſtatur (206). Vale jam Virgo Maria: ecce te ſaluto flexis genibus; ... tibi gratias ago conjunctis manibus; & ut orationem meam libenter audias & confirmes, ... verecunda ſalutatione faciem tuam honorabo: Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui Jeſus Chriſtus. Amen. (207).

DIE XX. MENSIS.

I.

Se pœnitet divino hactenus caruiſſe amore.

O amantiſſime Domine Jeſu Chriſte, ego miſerrimus & praviſſimus peccator omni

(206) *B. Henricus Suſo in Opuſc., cui titulus: Contemplazioni per le tre ore, nelle quali Gesù viſſe confitto in croce, in latinum idioma tranſl.*

(207) *Kempis in Opuſc. Orat. piar. orat.* 2.

ni dilectione vacuus, ſed malitia, & iniquitate plenus, te, ut debuiſſem, non dilexi; ſed cor durum & vagum habendo, ad diligenda frequenter mihi damnoſa, & noxia ipſum applicui (208). Cur amavi, quare concupivi in omni vita mea quicquam, præter te Jeſum Deum meum? Quare diſtuli, cur intermiſi ullo tempore te, Jeſu, verſare in corde, te tota mente amplecti, & delectare in tua dulcedine omnia interiora ſpiritus mei? Ubi eram, quando tecum mente non eram? Quo defluxerunt, quando non te ſolum habuerunt deſideria mea? Deus vitæ meæ, quam vane conſumpta ſunt, quam infructuoſe elapſa ſunt tempora mea? Quanti anni, quot horæ perierunt apud me, in quibus ſine fructu vixi coram te (209)? O miſer, & miſerabilis peccator, quid faciam? Oculata fide video, & cognoſco quod facere deberem, & non facio? Scio, clementiſſime Domine, me nullo modo aliter tibi placere poſſe, niſi per dilectionem. Ad illam meum animum non converto, illam vilipendo. Ad illam habendam me non diſpono, ſed inclinationes meas ad vitia, & peccata perficio. In illis permaneo, in illis delector, in illis fere continue proſtratus miſerabiliter jaceo. Reſpicere ergo me dignare, piiſſime Domine Jeſu Chriſte, animarum per amorem purgator, oculo tuæ pietatis

(208) *Idiota de contemplat. divini amoris cap.* 19. (209) *S. Anſelm. medit.* 13.

tatis & miſericordiæ. Dele iniquitatem meam maximam, & inclina cor meum pravum & perverſum ad te diligendum, & amandum. Non recedam a te, neque a tua benigniſſima voluntate, ſed quidquid præcipis, faciam; quidquid prohibes, evitem totis viribus, cogitatione, locutione, & opere; ut te donante, dilectionem tuam obtineam ſempiternam. Amen. (210).

I I.

A Chriſto expoſtulat lacrymarum donum.

DUlcis Chriſte, bone Jeſu, ... da mihi evidens ſignum amoris tui, irriguum lacrymarum fontem jugiter manantem: ut ipſæ quoque lacrymæ tui in me teſtentur amorem, ipſæ prodant, ipſæ loquantur quantum te diligit anima mea, dum præ nimia dulcedine amoris tui nequit ſe a lacrymis continere.... Da mihi conſolationem tuam cæleſtem, & noli ſpernere peccatricem animam, pro qua mortuus es. Da mihi, quæſo, lacrymas ex toto affectu internas, quæ peccatorum meorum poſſint ſolvere vincula, & cæleſti jucunditate ſemper repleant animam meam ... Solum confugium, & unica ſpes miſerorum, Domine, cui nunquam ſine ſpe miſericordiæ ſupplicatur,

(210) *Idiota de Contemplat. divini amoris cap.* 22.

tur, præſta mihi hanc gratiam propter te, & propter nomen ſanctum tuum, ut quoties de te cogito, de te loquor, ... quoties tui reminiſcor, tibi aſſiſto, laudes, preces, & ſacrificium offero, toties obortis lacrymis in conſpectu tuo copioſe & dulciter fleam ... Tu fleviſti defunctum amicum; & lacrymatus es valde ſuper perituram civitatem. Rogo te, bone Jeſu, per illas pretioſiſſimas lacrymas tuas, & per omnes miſerationes tuas, quibus mirabiliter nobis perditis ſubvenire dignatus es, da mihi gratiam lacrymarum, quam multum deſiderat & appetit anima mea... Da mihi irriguum ſuperius, & irriguum inferius; ut ſint mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, efficiarque in conſpectu tuo, Deus meus, per ignem compunctionis, holocauſtum pingue & medullatum; macter totus in ara cordis mei, tamquam pinguiſſimum holocauſtum aſſumar tibi in odorem ſuavitatis. Da mihi, dulciſſime, fontem irriguum, fontemque perſpicuum, in quo lavetur aſſidue iſtud inquinatum holocauſtum (211). Liba *me*, Domine, lacrymarum pane, & potum da mihi in lacrymis in menſura: donec perducas *me* ad menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, quam dabis in *ſinum meum* (212). Paſce me interim, Domine, ſingultibus meis, refo-

(211) *S. Anſelm. orat.* 16. (212) *S. Bernardus ſerm. de Paſſione Dom.*

ſocilla me doloribus meis (213). Da, quæſo, lacrymas Petri; nolo lætitiam peccatoris (214). Delectet me lugere miſeriam meam, & placeat omnipotentiæ tuæ vertere in gaudium triſtitiam meam (215).

III.

Ad Dei voluntatem ſe conformat.

DOmine, tu ſcis qualiter melius es: fiat hoc vel illud ſicut volueris. Da quod vis, & quando vis. Fac mecum ſicut ſcis, & ſicut tibi magis placuerit, & major honor tuus fuerit. Pone me ubi vis, & libere age mecum in omnibus. In manu tua ſum. .... En ſervus tuus ego paratus ad omnia: quoniam non deſidero mihi vivere, ſed tibi: utinam digne & perfecte! ... Tua voluntas mea ſit, & mea voluntas tuam ſemper ſequatur, & optime ei concordet. Sit mihi unum velle & nolle tecum: nec aliud poſſe velle aut nolle, niſi quod tu vis, & nolis (216). Domine, dummodo voluntas mea recta, & firma ad te permaneat, fac de me quidquid tibi placuerit. Non enim poteſt eſſe niſi bonum, quidquid de me feceris. Si me vis eſſe in

(213) *S. Anſelm. orat.* 22. (214) *S. Ambroſ. in Hexaëmeron lib.* 5. *cap.* 25. (215) *S. Anſelm. orat.* 16. (216) *Kempis de Imit. Chriſti lib.* 3. *cap.* 15.

in tenebris, ſis benedictus; & ſi me vis eſſe in luce, ſis iterum benedictus. Si me digna-ris conſolari, ſis benedictus. Si me vis tribulari, ſis æque ſemper benedictus.... Libenter patiar pro te quidquid volueris venire ſuper me. Indifferenter volo de manu tua bonum, & malum, dulce, & amarum, lætum & triſte ſuſcipere; & pro omnibus mihi contingentibus gratias agere. Cuſtodi me ab omni peccato, & non timebo mortem, nec infernum. Dummodo in æternum me non projicias, nec deleas de libro vitæ; non mihi nocebit quidquid venerit tribulationis ſuper me (217).

DIE XXI. MENSIS.

I.

Dei Patris amorem commendat, & in Chriſto mediatore ſpem omnem collocat.

QUomodo me amas, Deus meus, amor meus? Quomodo me amas, ubique recordans mei, ubique zelans ſalutem egeni & pauperis?... Ubique ſubvenis, ubique aſſiſtis, ubique a dextris es mihi, Domine, ne com-

(217) *Idem lib. 3. cap. 17.*

commovear (218). Quomodo nos amaſti, Pater bone, qui Filio túo unico non peperciſti, ſed pro nobis impiis tradidiſti eum? Quomodo nos amaſti, pro quibus ille ... factus eſt ſubditus uſque ad mortem crucis? Merito mihi ſpes valida in illo eſt, quod ſanabis omnes languores meos per eum, qui ſedet ad dexteram tuam, & te interpellat pro nobis (219). Quid ni ſperem, cum ipſe ſit propitiatio pro peccatis noſtris? Quid ni confidam, ubi in corpore mei Judicis ſalutis meæ impreſſa veſtigia fulgent? Certe, etſi taceam ego, ſatis pro me loquentur vulnera illa; nec aliud *reſpondebo exprobrantibus mihi verbum*, niſi hoc ſolum: quia *ſperavi in iſtis juſtificationibus tuis* ſemper (*Pſ.* 118.) (220). Inveni fontem, quo lavandus accedam: medicum, ad quem ſanandus recurram. Scio ubi ſit ſpes mea, & univerſa conſolatio mea. Quia in paſſionibus, & vulneribus Domini mei Jeſu Chriſti ſumma ſalutis, totaque ratio ſpei meæ conſiſtit, & abundat (221). Omnis ſpes, & totius fiduciæ certitudo mihi eſt in pretioſo ſanguine ejus, qui effuſus eſt propter nos, & propter ſalutem noſtram. In ipſo reſpiro, & in ipſo

(218) *S. Bernardus ſerm.* 17. *in Cantica.* (219) *S. Aug. lib.* 10. *Confeſſ. cap.* 43. (220) *S. Thomas a Villan. Conc.* 1. *in Dom.* 1. *Advent.* (221) *Orat. Thomæ a Kempis in Append. ad lib.* 4. *de Imit. Chriſti juxta edit. P. Somal.*

ipſo confiſus, ad te *Deum Patrem* pervenire deſidero: non habens meam juſtitiam, ſed eam quæ eſt in Filio tuo Domino noſtro Jeſu Chriſto (222). Tota ſpes mea eſt in morte Domini mei. Mors ejus meritum meum, refugium meum, ſalus, vita, & reſurrectio mea: meritum meum, miſeratio Domini. Non ſum meriti inops, quamdiu ille miſerationum oblitus non fuerit. Et ſi miſericordiæ Domini multæ, multus ego ſum in meritis. Quanto ille potentior eſt ad ſalvandum, tanto ego ſum ſecurior. Peccavi peccatum grande, & multorum ſum mihi conſcius delictorum: nec ſic deſpero, quoniam ubi abundaverunt delicta, ſuperabundavit & gratia.... Scio cui credidi, quia in charitate nimia adoptavit me in filium, quia verax eſt in promiſſione, potens in exhibitione.... Extendit brachia ſua in cruce, & expandit manus ſuas paratus in amplexus peccatorum. Inter brachia Salvatoris mei & vivere volo, & mori cupio (223).

II.

Angelorum panem manducare deſiderat, ut in æternum vivat.

Ecce ego ad te venio, Domine, ut bene mihi ſit ex munere tuo, & lætificer in con-

(222) *Lib. Medit. inter Op. Aug. in Append. cap.* 14. (223) *Lib. Soliloq. inter Op. Aug. in Append. cap.* 32., *&* 33.

convivio ſancto tuo, quod paraſti in dulcedine tua pauperi Deus. Ecce in te eſt totum quod deſiderare poſſum & debeo: tu ſalus mea, & redemptio, ſpes & fortitudo, decus & gloria. Lætifica ergo hodie animam ſervi tui, quoniam ad te, Domine Jeſu, animam meam levavi. Deſidero te nunc devote ac reverenter ſuſcipere: cupio te in domum meam inducere; quatenus cum Zachæo merear a te benedici, ac inter filios Abrahæ computari. Anima mea corpus tuum concupiſcit, cor meum tecum uniri deſiderat. Trade te mihi, & ſufficit. Nam præter te nulla conſolatio valet. Sine te eſſe nequeo, & ſine viſitatione tua vivere non valeo. Ideoque oportet me frequenter ad te accedere, & in remedium ſalutis meæ recipere: ne forte deficiam in via, ſi fuero cæleſti fraudatus alimonia. ... Tu es enim ſuavis refectio animæ; & qui te digne manducaverit, particeps & hæres erit æternæ gloriæ (224).

III.

Cum divino Filio ut gratiam ineat, ad divinam Matrem recurrit.

O Sancta, o benedicta, in neceſſitatibus noſtris adeſſe digneris noſtrum conſilium,

F

(224) *Thom. a Kemp. de Imit. Chriſti lib.* 4. *cap.* 3.

lium, & auxilium. ... Surge, beatiſſima Virgo, miſericorditer ora pro nobis; ſurge, & amplectere miſericordiam Redemptoris; & da preces jugiter pro nobis, quos cernis tam graviter offenſos ante oculos Conditoris. Per te, Domina glorioſa, ad Jeſum Filium tuum mereamur aſcendere, qui per te ad nos dignatus eſt deſcendere. Per te, beata Virgo, venire valeamus in ipſius gloriam, qui per te in noſtram venit miſeriam. Per te acceſſum habeamus ad Filium tuum, qui per te redemit mundum. O benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, mater ſalutis, per te ſuſcipiat nos, qui per te datus eſt nobis. Excuſet, piiſſima Domina Virgo Maria, apud piiſſimum Filium tuum integritas tua culpam noſtræ corruptionis, & humilitas tua Deo grata noſtræ veniam impetret vanitatis. Copioſa charitas tua glorioſam fœcunditatem nobis conferat meritorum. Generaliter omnes te, glorioſa Virgo Maria, invocantes exaudi, omnibus adeſto; omnibus ſubveni; omnes in anguſtiis & neceſſitatibus te ſentiant adjutricem, quicumque te credunt eſſe Dei Genitricem. Specialiter vero illos tua quotidiana & aſſidua defendat oratio, quorum frequens tibi famulatur devotio; & quicumque ſunt memores tui in terris, memor ſis illorum ante piiſſimum Filium tuum Dominum noſtrum in cælis. Domina noſtra, mediatrix noſtra, tuo Filio nos commenda, reconcilia nos Filio tuo, Filio tuo

nos

nos repræſenta (225). Inferantur a te vota noſtra atque ſuſpiria conſpectui Redemptoris, ut quæ noſtris excluduntur meritis, per te locum apud aures divinæ obtineant pietatis. Dele peccata, relaxa facinora, erige lapſos, ſolve compeditos. Per te ſuccidantur vepres, & germina vitiorum; præbeantur flores & ornamenta virtutum. Placa precibus Judicem, quem genuiſti ſingulari puerperio Salvatorem (226). Fac, o benedicta, per gratiam quam inveniſti, per prærogativam quam meruiſti, ut qui te mediante fieri dignatus eſt particeps miſeriæ & infirmitatis noſtræ, te quoque intercedente participes nos faciat ſuæ gloriæ, atque beatitudinis æternæ (227).

DIE XXII. MENSIS.

I.

Dominum benedicit, qui Angelorum tutelæ homines commendavit, & cuſtodi Angelo ſupplicat.

ANgelis ſuis Deus mandavit de te (*Pſ.* 90.). De quo *mandas*, Deus, principibus, & po-

F 2

(225) *S. Anſelm. in lib. Orat.*, *orat.* 54. (226) *S. Petrus Damian. Tom.* 4., *ubi preces & carmina*. (227) *S. Anſelm. loc. cit.*

poteſtatibus cæleſtibus? ... De me? Quare de me? ... Quis ego ſum? De me? In cælo memoria de me? In cælo mandatum de me vili vermiculo? ... Sed quid *mandaſti* de me? Heu! Numquid ut crucient me? Numquid ut puniant me? Numquid ut a facie tua projiciant me, & in inferno demergant me? Sic juſtum erat: hujus mandati reus eram. Non hoc *mandaſti*, ſed ut cuſtodiant *me*. Benedictum ſit nomen tuum Domine, benedictum ſit in æternum; quoniam ſollicitus es mei, neque deſpicis opus manuum tuarum in infirmo iſto ſæculo conſtitutum (228). Laudent te de hoc omnes Angeli tui, confiteantur tibi de hoc omnia opera tua, & ipſi Sancti tui benedicant tibi (229). Multæ gratiæ vobis, o Angelicæ Poteſtates, multæ gratiæ vobis; quoniam ſic libenter humiliamini, ut non dedignemini me viſitare. Quid dico? Imo ſervire, & adminiſtrare (230). Obſecro te, Angelice ſpiritus, cui ego ad providendum commiſſus ſum a Deo, ut cuſtodias me indeſinenter & protegas, viſites & defendas ab omni incurſu diaboli vigilantem & dormientem, nocte ac die, horis continuis ac momentis conſove me; ubicumque ideo comitare mecum. Repelle a me omnem tentationem Sa-

tanæ

(228) *S. Thom. a Villan. Conc. in Dom.* 3. *poſt Pentec.* (229) *Lib. Soliloq. in Append. Oper. Aug. cap.* 27. (230) *S. Thom. a Villan. loc. cit.*

tanæ; & quod mea non exigunt merita, tuis precibus obtine apud miſericordiſſimum Judicem, & Dominum noſtrum, qui te mihi tutorem aſſignavit, & me tibi commendavit, ut nihil in me loci habeat contrariæ virtutis admixtio. Cumque me per abrupta vitiorum deviare perſpexeris, per ſemitas juſtitiæ ad Redemptorem meum reducere ſatagas me; & in quacumque anguſtia me perſpexeris, auxilium Dei omnipotentis tuo obtentu ſuper me eſſe ſentiam. Precor ergo, ſi fieri poteſt, ut notum mihi facias finem meum; & cum de hoc corpore eductus fuero, non dimittas malignos ſpiritus terrere me, aut illudere, neque in foveam deſperationis inducere. Et non me derelinquas, donec perducas ad viſionem Conditoris mei, ubi perenniter cum omnibus Sanctis tuo interventu merear lætari, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto (231).

I I.

Dominicæ Paſſionis præcipua myſteria commemorat, & Salvatoris beneficentiam implorat.

DUlciſſime, & miſericordiſſime Domine Jeſu Chriſte, ... tu propter me traditus es; ne tradas beſtiis animam meam. Ligatus es propter me: ſolve ligamina pecca-

(231) *S. Anſelm. orat.* 62.

torum meorum. Illuſus es propter me: libera me ab illuſionibus dæmonum. Dulciſſime Domine, tu ſolus homo ſine peccato flagellatus es propter me: libera me a flagellis, quæ merentur iniquitates meæ. Miſericordiſſime Domine, ſpinis coronatus es propter me: ſpinas peccatorum meorum aufer a me. Domine Jeſu benigniſſime, tu portaſti ſuper ſanctos humeros tuos crucem tuam: fac me te ſequi, & poſt te portare animam meam. Altiſſime Domine, tu exaltatus in cruce traxiſti omnia ad te: trahe me ad te. Dulciſſime Domine, tu permiſiſti manus tuas, & pedes clavis ferreis perforari, lancea tuum latus aperiri, ſanguinem tuum pro peccatoribus effundi: per ipſum ſanguinem tuum lava animam meam ab omnibus peccatis, & omnem dolorem ab ea tolle per anguſtias, quas pro nobis ſuſtinuiſti. Dulciſſime Domine, tu ſuſcepiſti petitionem latronis: ſuſcipe orationem mei peccatoris. Aceto potatus es propter me: inebria animam meam melle dulcedinis tuæ. Bone Paſtor, tu poſuiſti pro tuis ovibus animam tuam: ne ſinas perire & mori peccatricem animam meam (232). Qui in cruce recordatus es indulgentiæ, numquid in cælo oblitus es miſericordiæ? Miſerere, quæſo, Domine, miſerere mei ſervi tui (233).

III.

(232) *Idem orat.* 37. (233) *Idem orat.* 43.

III.

Ut charitate, & dolore cor ſuum vulneretur, ſupplex adit Matrem Jeſu ſtantem juxta crucem.

O Maria, amaritudine plena, ... o vulnerata Domina, vulnera cor meum, & in meo corde renova paſſionem: cor tuum vulneratum conjunge cordi meo, ut tecum Filii tui paſſione vulnerer.... O Domina præclariſſima, & Mater piiſſima, quare mihi quod peto non tribuis? Si te offendi, pro juſtitia cor meum vulnera. Si tibi ſervivi, nunc pro mercede peto: vulnera. Ubi eſt, Domina, ubi eſt immenſa pietas, & charitas tua? Quare mihi facta es crudelis, quæ ſemper fuiſti benigniſſima? Non peto a te, Domina mea cariſſima, ſolem, neque ſidera, ſed vulnera. ... Aut a me, Domina, auferas vitam corporalem, aut cor meum vulnera. Verecundum, & opprobrioſum eſt mihi videre Dominum meum Jeſum Chriſtum vulneratum, & te Dominam meam Matrem ſuam vulneratam, & me viliſſimum ſervum tuum pertranſire illæſum. Certe ſcio quid faciam. Hic tibi ſine intermiſſione cum clamore, & lacrymis, tuis pedibus pervolutus poſtulare non deſinam,... donec ero ubique vulneratus. Neque enim aliud, niſi vulnera a te peto. Si autem ſine percuſſione blandiri volueris, ipſæ blanditiæ

cor meum vulnerabunt tuo amore. Si autem nec quicquam feceris, tamen cor meum vulnerabitur triſtitia, & ſic a te ſine vulnere non recedam (234).

DIE XXIII. MENSIS.

I.

Deum rogat, ne in furore arguat, neque in ira corripiat.

D*Omine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.* (*Pſ. 6.*). Scio quidem quia ab oculis tuis, meis excludor meritis: ſed tamen minor ſum cunctis miſerationibus tuis. Tu igitur, Domine, cujus me ſervum eſſe non abnego, cujus imperiis obtemperare deſidero, cujus ſuave jugum ferre nequaquam recuſo, ne arguas me in furore tuo (235). Argue me, ſed non in ira: corripe me, ſed non in furore: argue me ut Pater, non ut Judex: corripe me non ut Dominus, ſed ut parens: argue me non ut perdas, ſed corripias: corripe me non ut inte-

(234) *S. Laurent. Juſtin. de Incendio divini amoris cap.* 4. (235) *S. Greg. P. expoſit. in ſept. Pſal. Pœnit.*

terimas; ſed emendes (236). Quoniam tu es qui feciſti me, noli exterminare me: tantum cæde ut proficiam, non ut deficiam: tantum tunde ut producar, non ut comminuar (237). Paterne corripias, non Judicis ritu: Medici more, non tortoris. Ne metiaris vindictam peccato, ſed benignitate juſtitiam tempera (238). Et ne quid in me poſt hujus vitæ terminum vindicandum invenias, oro ut per ignem tui amoris omnem in me vitiorum originem conſumas.... Hoc ſolum tota cordis intentione efflagito, hoc indeſinenter votis omnibus concupiſco, ne me in illo tremendo examine vel cum reprobis ferias, vel cum purgandis, flammis ultricibus affligas (239).

I I.

In hoc mundo puniri a Deo deſiderat, ut in æternum ipſi parcat.

MIſerere, Domine, miſerere pie, miſerere mihi miſerrimo peccatori indigna agenti, & digna patienti; aſſidue peccanti, & tua flagella quotidie ſuſtinenti. Si penſo malum quod feci, non eſt tantum quod patior; gravius eſt quod commiſi, levius quod to-

(236) *S. Petrus Chryſ. ſerm.* 45. *in Pſ.* 6. (237) *S. Aug. Enar. in Pſ.* 38. (238) *Theodoret. Cyren. in Pſ.* 6. (239) *S. Greg. Papa Expoſit. in ſept. Pſal. Pœnit.*

tolero. Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum: omnia judicia tua juſta, & vera ſunt (240). Non mea voluntas fiat, Domine, quæ prava ſemper eſt, & injuſta; tua potius, quæ cæli Virtutibus, & hominibus eſt humiliter adoranda. Ure, ſeca, concide, omneſque vulnerum meorum ſinus, ac latebras perſcrutare; nihilque prorſus in me lateat putridum, quod curationis tuæ prætervolet ferramentum (241). Hîc me argue: dum tempus eſt miſericordiæ, corripe: dum dies ſalutis eſt, exerce.... Hîc per flagella contere: hîc igne tribulationis exure (242). Ecce, Pater dilecte, in manibus tuis ſum ego, ſub virga correctionis tuæ me inclino. Percute dorſum meum, & collum meum, ut incurvem ad voluntatem tuam tortuoſitatem meam.... Tibi me, & omnia mea ad corrigendum commendo: melius eſt hîc corripi, quam in futuro (243). Verbera me, emenda, & corripe, & tamdiu caſtiga tuum Sacerdotem, imo tuum peccatorem, donec omnis rubigo peccati recedat a me, quæ per tam longum tempus ex magna incuria indurata eſt in lateribus animæ meæ (244); & donec per ineffabi-

(240) *Lib. Medit. incerti Auct. inter Op. Aug. cap.* 38. (241) *S. Petrus Dam. Epiſtolar. lib.* 6. *Epiſt.* 19. (242) *S. Greg. Papa Expoſit. in ſept. Pſal. Pœnit.* (243) *Thom. a Kemp. de Imit. Chriſti lib.* 3. *cap.* 50. (244) *S. Anſelm. orat.* 25.

bilem bonitatem tuam perducas me ad gloriam tuæ contemplationis (245).

I I I.

Cordis ſui mœrores, & anguſtias divinæ Genitrici enarrat, ut ipſa luctum in gaudium convertat.

MIſerere mei, Domina, quæ mater miſericordiæ nuncuparis. Et ſecundum viſcera miſericordiarum tuarum munda me ab omnibus iniquitatibus meis. Ablue omnia peccata *mea*, ſana omnes infirmitates *meas*. Illumina oculos meos, & illuſtra cæcitatem meam. Munda cor meum igne amoris, & charitatis tuæ. Accendatur amore tuo tepor meus: gratia tua expellatur torpor meus. Effunde gratiam tuam ſuper me, & ſolitam clementiam tuam ne ſubtrahas a me. Quoniam peccata mea confiteor tibi, & coram te me accuſo de ſceleribus meis. Tenebræ mortis venerunt ſuper me, & pavor inferni invaſit me. Propter multitudinem iniquitatum mearum oppreſſus ſum vehementer. Facti ſunt hoſtes mei in capite meo: ſubſannaverunt, & deriſerunt me quotidie. Ego autem in ſolitudine expecto conſolationem tuam; & in cubili meo attendo miſericordiam tuam. Tu es mater illuminationis cordis mei: tu es nutrix re-

(245) *Idem in lib. Medit. medit. 19. cap. 7.*

refovens mentem meam. Tu es lactatrix Salvatoris animæ meæ: initium & finis totius ſalutis meæ. Per tuam fœcunditatem ego captivus ſum redemptus: per tuum partum virgineum de morte perpetua ſum ereptus. Sit manus tua ad ſuccurrendum mihi parata: & auris tua intendens ad deprecationem meam. Vide, Domina, quoniam tribulor: expande manus tuas, ſuccurre pereunti. Converte luctum meum in gaudium, & tribulationem meam in jubilationem. Reſperge cor meum dulcedine tua; trahe me poſt te vinculis miſericordiæ tuæ, & fomentis gratiæ, & pietatis tuæ ſana dolorem meum. Avertatur a me ira Dei per te: placa eum meritis, & precibus tuis. Fructui ventris tui me reconcilia, & pacifica me ei, qui me creavit. Ne projicias me in tempore mortis *meæ*; ſed ſuccurre animæ cum deſeruerit corpus ſuum. Mitte Angelum in occurſum ejus, per quem ab hoſtibus defendatur. Oſtende ei ſereniſſimum Judicem ſæculorum, qui ob tui gratiam veniam ei largiatur. Sentiat in pœnis refrigerium tuum, & concede ei locum inter electos Dei. Ductrix mea eſto ad patriam, & me cœtui Angelorum digneris aggregare. Exaudi me, Domina, & precibus meis converte clementem faciem tuam (246).

DIE XXIV.

(246) *Ex variis locis Opuſculi S. Bonav., quod inſcribitur: Pſalterium B. M. V.*

DIE XXIV. MENSIS.

I.

Tamquam egenus & pauper ante Chriſtum procumbens, ejus gratiam poſtulat, & clementiam implorat.

O dulciſſime atque amantiſſime Domine, quem nunc devote deſidero ſuſcipere, tu ſcis infirmitatem meam, & neceſſitatem, quam patior, in quantis malis & vitiis jaceo, & quam ſæpe ſum gravatus, tentatus, turbatus, & inquinatus. Pro remedio ad te venio, & pro conſolatione, & ſublevamine te deprecor. Ad omnia ſcientem loquor, cui manifeſta ſunt omnia interiora mea, & qui ſolus potes me perfecte conſolari, & adjuvare. Tu ſcis quibus bonis indigeo præ omnibus, & quam pauper ſum in virtutibus. Ecce ſto ante te pauper & nudus gratiam poſtulans, & miſericordiam implorans. Refice eſurientem mendicum tuum, accende frigiditatem meam igne amoris tui, illumina cæcitatem meam claritate præſentiæ tuæ. Verte mihi omnia terrena in amaritudinem, omnia gravia & contraria in patientiam, omnia infima & creata in contemptum & oblivionem. Erige cor meum ad te in cælum, & ne dimittas me

va-

vagari ſuper terram. Tu ſolus mihi ex hoc jam dulceſcas uſque in ſæculum: quia tu ſolus cibus & potus meus, amor meus, & gaudium meum, dulcedo mea, & totum bonum meum. Utinam me totaliter ex tua præſentia accendas, comburas, & in te tranſmutes, ut unus tecum efficiar ſpiritus per gratiam internæ unionis, & liquefactionem ardentis amoris. Ne patiaris me jejunum & aridum a te recedere, ſed operare mecum miſericorditer, ſicut ſæpius operatus es cum ſanctis tuis mirabiliter (247).

I I.

Chriſtum rogat, ut in animam ſuam ingrediatur.

DOmine Jeſu Chriſte, quis mihi dabit adquieſcere in te? Quis mihi dabit ut venias in cor meum, & inebries illud, ut obliviſcar mala mea, & unum bonum meum amplectar te (248)? Ingredere in cubiculum tuum: tua veſtigia deoſculabor.... Habita in me, & in me ambula.... Fac me templum ſanctiſſimi Spiritus: cordis mei imperium tene, Domine, illudque hæreditatis jure poſſide, & manſionem apud me facito, una cum Pa-

(247) *Thom. a Kemp. de Imit. Chriſti lib. 4. cap. 16.* (248) *S. Aug. lib. 1. Confeſſ. cap. 5.*

Patre, & Spiritu Sancto (249). Te cupio, te totis viſceribus ſumere concupiſco. ... Sine te quidem nec lætari, neque eſſe, aut vivere volo. Redde mihi te, tuo me paſce corpore, ſanguine me inebria tuo, tui me amore tranſfige (250). Virtus animæ meæ intra in eam, & coapta tibi, ut habeas & poſſideas ſine macula, & ruga (251). Anguſta eſt domus animæ meæ quo venias ad eam: dilatetur abs te. Ruinoſa eſt: refice eam. Habet quæ offendant oculos tuos, fateor & ſcio: ſed quis mundabit eam? aut cui alteri præter te clamabo? *Ab occultis meis munda me, Domine, & ab alienis parce ſervo tuo* (*Pſ.* 18.) (252). Ignis qui ſemper luces, amor qui ſemper ardes, dulcis Chriſte, bone Jeſu, lumen æternum & indeficiens, panis vitæ qui nos reficis, ... reſplende mihi, accende me, illumina & ſanctifica vas tuum, ... ut ad ſalutem animæ meæ manducem cibum carnis tuæ, quatenus manducando te, vivam de te, vadam per te, perveniam ad te, & repauſem in te. O dulcedo amoris, & amor dulcedinis, comedat te venter meus, & nectare tui amoris repleantur viſcera mea, ut eructet mens mea

(249) *S. Joan. Damaſc. Homil. in ficum arefactam.* (250) *S. Laurent. Juſtin. de triumphali Chriſti agone cap.* 4. (251) *S. Aug. lib.* 10. *Confeſ. cap.* 1. (252) *Idem lib.* 1. *Confeſ. cap.* 1.

mea verbum bonum (253). Panis dulciſſime, ſana palatum cordis mei, ut ſentiam ſuavitatem amoris tui. Sana illud ab omni languore, ut nullam præter te ſentiat dulcedinem, nullum præter te quærat amorem, nullam præter te amet pulchritudinem. Panis candidiſſime, habens omne delectamentum & omnem ſuavitatis ſaporem, qui nos ſemper reficis, & nunquam in te deficis, comedat te cor meum, & dulcedine ſaporis tui repleantur viſcera animæ meæ. Manducat te Angelus ore pleno, manducet te peregrinus homo pro modulo ſuo, ne deficere poſſit in via tali recreatus viatico. Panis ſancte, panis vive, panis pulcher, panis munde, qui deſcendiſti de cælo, & das vitam mundo, veni in cor meum, & munda me ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus: intra in animam meam, & ſanctifica me interius, & exterius. Eſto tutamen, & continua ſalus animæ meæ, & corporis mei. Repelle a me inſidiantes mihi hoſtes: recedant procul a præſentia potentiæ tuæ, ut foris & intus per te munitus, recto tramite ad tuum regnum perveniam (254).

III.

(253) *Manuale incerti Auct. inter Op. Aug. cap.* 12. (254) *S. Anſelm. in lib. Orat. orat.* 29., *& in Append. Oper. S. Ambroſ.*

III.

A Chriſto Redemptore, & Sanctiſſima ejus Matre divinum petit amorem.

MAgne Domine, .. magna Domina, ... impinguate, & ſuccendite *animam meam* veſtra dilectione; veſtro continuo amore langueat cor meum, liquefiant omnia oſſa mea, deficiat caro mea. ... Domine fili Dominæ meæ, Domina mater Domini mei, ſi ego non ſum dignus qui ſic debeam veſtro amore beatificari, certe vos non eſtis indigni qui ſic, imo plus debeatis amari. ... Date itaque, piiſſimi, date, obſecro, ſupplicanti animæ meæ, non propter meritum meum, ſed propter meritum veſtrum: date illi quanto digni eſtis, amorem veſtrum. Date, inquam, mihi quo ſum indignus, ut reddatur vobis quo eſtis digni. Si enim non vultis dare, ut habeam quod deſidero; ſaltem nolite negare, ut reddam vobis quod debeo. ... Bone Fili, rogo te per dilectionem, qua diligis Matrem tuam, ut ſicut tu vere diligis, & diligi vis eam; ita mihi des ut vere diligam eam. Bona Mater, rogo te per dilectionem, qua diligis Filium tuum, ut ſicut tu vere diligis, & diligi vis eum; ita mihi impetres, ut vere diligam eum. Ecce enim peto quod ut fiat, vere eſt in veſtra voluntate. Cur ergo propter peccata mea non fiet, cum ſit & in veſtra poteſtate? Amator

&

miſerator hominum, tu potuiſti reos tuos & uſque ad mortem amare: & poteris te roganti amorem tui, & Matris tuæ negare? Mater hujus amatoris noſtri, quæ illum in ventre portare, & in ſinu meruiſti lactare, an tu non poteris, aut non voles poſcenti ejus amorem, & tuum impetrare? Veneretur igitur vos, ſicut digni eſtis, mens mea; amet vos, ſicut æquum eſt, cor meum; diligat vos, ſicut ſibi expedit, anima mea; ſerviat vobis, ſicut debet, caro mea, & in hoc conſummetur vita mea, ut in æternum pſallat tota ſubſtantia mea. Benedictus Dominus in æternum; fiat, fiat (255).

DIE XXV. MENSIS.

I.

Se pudet cæleſtem offendiſſe Patrem, qui miſerando, & parcendo vincit hominum malitiam.

O fons amoris perpetui, quid dicam de te? Quomodo potero tui obliviſci, qui mei dignatus es recordari, etiam poſtquam contabui & perii? Feciſti ultra omnem ſpem, miſericordiam cum ſervo tuo; & ultra omne me-

(255) *S. Anſelm. orat.* 52.

meritum, gratiam & amicitiam exhibuiſti (256). Viciſti me, Domine, & victus ſum. ... Vicit miſericordia tua malitiam meam: multiplicavi peccata, multiplicabas beneficia: adauxi crimina, auxiſti clementiam. Si fugiebam, retinebas: ſi cadebam, levabas: ſi torpebam, excitabas: ſi obcæcabam animam, tu illuminabas: ſi offendebam, dimittebas (257). Ego te offendebam, & tu me defendebas: ego te non timebam, & tu me cuſtodiebas. A te recedebam, & inimico meo me exhibebam; tu ipſum ne me acciperet, deterrebas. Hæc mihi tu, Deus meus, beneficia conferebas, & ego non cognoſcebam. Sic me multoties a faucibus diaboli liberaſti, de ore leonis eripuiſti, & ab inferno licet me neſcientem multis vicibus reduxiſti. Deſcendi enim uſque ad portas inferni; & ne illuc intrarem, tu me tenuiſti. Appropinquavi uſque ad portas mortis; & ne ipſa me caperet, tu feciſti (258). O admiranda contentio bonitatis Dei, & malitiæ meæ! Vicit tamen, ut æquum erat, parcendo clementia tua, vicit miſerando. Quaſi ex profeſſo, & ultro, deliberate iram Judicis irritabam, & dum iram concito, miſericordiam impendis. Dum magis ingratus & profanus tua præcepta contemno, tu magis tuam

(256) *Thom. a Kemp. de Imit. Chriſti lib. 3. cap.* 10. (257) *S. Thom. a Villan. Conc. 6. in Dom.* 4. *Advent.* (258) *Lib. Soliloq. in Append. Op. Aug. cap.* 18.

tuam miſericordiam auges. Peccabam, & diſſimulabas, & non videre te fingebas, quod nolles viſum caſtigare. Hei me miſerum! Hei me viliſſimum, & abjectum mancipium peccati! Quanam fronte attollo jam oculos ad vultum Patris tam boni, tam malus filius! Pudet indigna geſſiſſe genere meo; pudet patri vixiſſe degenerem. *Exitus aquarum* deducite *oculi mei* (*Pſ.* 118.). *Operiat confuſio faciem meam* (*Pſ.* 689.) (259).

I I.

Abyſſus miſeriæ abyſſum invocat miſericordiæ.

DOmine, abyſſus profundiſſimæ miſeriæ meæ abyſſum invocat altiſſimæ miſericordiæ tuæ. Ne contineas in ira miſerationes tuas, ... qui misereris omnium, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti, diſſimulans peccata hominum propter pœnitentiam. ... Recordare, Domine Jeſu, quia tuum non eſt perdere quidquam eorum, quæ Pater tuus dedit tibi, quin tibi proprium eſt misereri ſemper, & parcere, neminem perdere, ſed ſalvare (260). Memento, juſte, ſancte, & benigne Deus, memento quia miſericors es, & creator & recreator meus. Ne ergo memineris, bone Domi-

(259) *S. Thom. a Villan. loc. cit.* (260) *In formula privatæ Confeſſ. incerti Auct. inter Op. S. Bernardi*.

mine, juſtitiæ tuæ adverſus peccatorem tuum; ſed memor eſto benignitatis tuæ ergā creaturam tuam: ne memineris iræ adverſus reum; ſed memor eſto miſerationis erga miſerum (261). Memor eſto mei, non ſecundum iram, qua ego dignus ſum, ſed ſecundum miſericordiam tuam, quæ te digna eſt (262). Verum eſt quia conſcientia mea meretur damnationem, & pœnitentia mea non ſufficit ad ſatisfactionem: ſed certum eſt quia miſericordia tua ſuperat omnem offenſionem. Parce ergo tu, bone Domine, cujus eſt ſalus, & qui non vis mortem peccatoris: parce peccatrici animæ meæ (263). Dic mihi per miſerationes tuas, Domine Deus meus, quid ſis mihi. Dic animæ meæ: ſalus tua ego ſum. Sic dic ut audiam. Ecce aures cordis mei ante te, Domine: aperi eas, & dic animæ meæ: ſalus tua ego ſum. Curram poſt vocem hanc, & apprehendam te. Noli abſcondere a me faciem tuam: moriar, ne moriar, ut eam videam (264).

III.

(261) *S. Anſelm. medit.* 3. (262) *S. Aug. enar. in Pſ.* 24. (263) *S. Anſelm. loc. cit.* (264) *S. Aug. lib.* 1. *Confeſſ. cap.* 5.

III.

Animæ ſuæ miſerias divinæ Matri enarrat, ut ejus concitet miſericordiam.

O mi Domina, quid dicam, vel quid faciam? In tenebris ſum, & lumen cæli non video. Quo ibo, aut quo a facie Filii tui judicantis fugiam?... Ego de peccatoribus conceptus & natus peccator, baptizatus & ſalvatus, iterum peccator factus ſum (265). Sed quid ago, obſcœnitates meas referens auribus illibatis? Horreſco, Domina, horreſco; & arguente me conſcientia, male nudus coram te erubeſco. Cui vero moribundus offeram vulnus meum? Ad quem ibo, & apud quem deplorabo dolorem meum, aut quando aliunde ſperem beneficia ſanitatis, ſi mihi clauditur illud unicum reclinatorium æternæ pietatis? Audi ergo, Domina, audi propitia, audi & exaudi civem perditum de ſorte hæreditatis ſuæ poſt longa exilia, poſt longa ſuſpiria, poſt ſæva ludibria, poſt multa ſupplicia revertentem ad ubera conſolationis tuæ (266). Clamans... vociferor ad te. Egregia Virgo, & piiſſima Domina, parce mihi, & exaudi me (267). Ora pro me, ſancta Dei Genitrix, ut qui conſcius peccatorum multorum tribunal Filii tui tremebundus perhorreſco,

(265) *S. Anſelmus in lib. Orat.*, *orat.* 46. (266) *Idem orat.* 49. (267) *Idem orat.* 46.

co, per tuam venerabilem interceſſionem gaudeam emundari ab omnibus criminibus meis (268). Fac, o felix Domina, & omni laude digniſſima, ut ego famulus tuus, qui in tota longævitate dierum meorum miſerabiliter per abrupta peccatorum corrui, nunc ... agam pœnitentiam pro peccatis meis quæcumque geſſi in cogitatione, voluntate, operatione, & negligentia. Et quamvis diutiſſime, hoc eſt, ab exordio vitæ meæ uſque in hanc horam perſeveraverim in ipſis, quæ cœpi, peccatis; tu tamen, cælorum Regina, obtine apud clementiſſimum Filium tuum, ut ultra non regnet iniquitas in me, ſed virtus divinitatis. Virtutum & orationum copia me juſtificet, mundet & muniat, & per ſemitas juſtitiæ deducendo ad bonum perſeverantiæ perducat, & provehat. In extremis quoque vitæ poſitum nulla me oblivio hebetet, linguæ officium nullius paſſionis vitium impediat, expletoque dierum meorum numero, atque perfecto in me Eccleſiæ ſancto miniſterio, merear ſuſcipi ab Angelo lucis, & liberari ab Angelo mortis, ac perferri ante tribunal piiſſimi Judicis, ubi per te, Domina, percipiam quietem pacis vitæ æternæ. Amen (269).

DIE XXVI.

(268) *Idem orat.* 60. (269) *Idem orat.* 46.

DIE XXVI. MENSIS.

I.

Jeſum alloquitur propter ſcelera hominum vulneratum, & auritum.

HEu mihi Domine, quomodo te video crudeliter vulneratum, quanto dolore te video aggravatum! ... Quid feciſti, o bone Jeſu (270)? Quod ſcelus tuum, quæ noxa tua, quæ cauſa mortis, quæ occaſio tuæ damnationis? Ego enim ſum tui plaga doloris, tuæ culpa occiſionis. Ego tuæ livor paſſionis, tui cruciatus labor. Ego tuæ mortis meritum, tuæ vindictæ flagitium. ... Quo, nate Dei, quo tua deſcendit humilitas? Quo tua flagravit charitas? Quo proceſſit pietas! Quo excrevit benignitas? Quo tuus attigit amor? Quo pervenit compaſſio (271)? Quid ſum ego fœtidus vermis, & putredo deteſtabilis, pro quo tu Domine Jeſu, creator, & rector omnium debeas ſic affligi (272)? Ego enim inique egi, tu pœna mulctaris: ego facinus admiſi, tu ultione plecteris: ego crimen edidi, tu torturæ ſubjiceris: ego ſuperbivi, tu

(270) *S. Laurent. Juſtin. de Incendio divini amoris cap.* 4. (271) *S. Anſelm. orat.* 2. (272) *S. Laurent. Juſtin. loc. cit.*

tu humiliaris: ego tumui, tu attenuaris: ego inobediens extiti, tu obediens Patri ſcelus inobedientiæ luis: ego gulæ parui, tu inedia afficeris: me ad illicitum rapuit concupiſcentia ardorem, te perfecta charitas ducit ad crucem: ego præſumpſi vetitum, tu ſubiiſti eculeum: ego delector cibo, tu laboras in patibulo: ego fruor deliciis, tu laniaris clavis: ego pomi dulcedinem, tu fellis guſtas amaritudinem .... Ecce, Rex gloriæ, ecce impietas mea, & claret pietas tua; en mea injuſtitia, & tua liquet pietas. ... Rogo te, ſpes mea, per omnes pietates tuas, ut propitieris omnibus impietatibus meis. Adaperi aures meas mandatis tuis, & ne declines, flagito per nomen ſanctum tuum, in verba malitiæ cor meum, ad excuſandas excuſationes in peccatis. Peto etiam per admirabilem humilitatem tuam, ne veniat mihi pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moveat me (273).

II.

A Chriſto trahi exoptat.

Domine Jeſu Chriſte, trahe me poſt te. Non trahat dulcedo ſæculi, ſed trahat me ſuavitas beatiſſimi amoris tui. Traxit me aliquando vanitas mea; ſed jam trahat me *totum* poſt ſe veritas tua. Trahe, quia traxiſti. ... Tra-

(273) *S. Anſelm. orat.* 2.

Traxiſti redimendo, trahe ſalvando. Traxiſti miſerando, trahe beatificando.... Trahe jam potenter exaltatus, quem attraxiſti miſericorditer humiliatus.... Liga tecum indiſſolubilibus amoris vinculis deſideria cordis mei, ubi tecum ſunt primitiæ ſpiritus mei. Societ nos unitas charitatis, quos copulavit charitas redemptionis. Dilexiſti enim me, tradidiſti temetipſum pro me. Sit itaque tecum in cælo jugiter intentio mea, ſit mecum in terra continue protectio tua. Adjuva tui amoris deſiderio æſtuantem, qui dilexiſti contemnentem. Da quærenti, qui te dediſti neſcienti. Suſcipe redeuntem, qui revocaſti fugientem. Diligam ut diligar: imo quia diligor, magis ac magis diligam, ut magis diligar. Uniatur tecum cogitatio mea, una & ſingularis ſit tecum intentio mea, ubi tecum a te miſericorditer ſuſcepta beata jam regnat ſubſtantia noſtra. Adhæream tibi inſeparabiliter, adorem te infatigabiliter, ſerviam tibi perſeveranter, quæram te fideliter, inveniam te feliciter, poſſideam te æternaliter (274).

III.

(274) *S. Anſelm. medit. 1. cap. 6.*

I I I.

Multorum peccatorum ſibi conſcius, ſub Virginis Mariæ præſidium confugit.

Immaculata, & intemerata, incorrupta & prorſus pudica, atque ab omni ſorde ac labe peccati alieniſſima, Virgo Dei ſponſa, ac Domina noſtra, ... unica ſpes deſperantium, oppreſſorum auxilium, & ad te recurrentium præſentaneum ſublevamen, omnium denique Chriſtianorum firmum præſidium, me maximum peccatorem, enormibuſque meis cogitationibus, verbis, ac factis effectum viliſſimum, ... ne averſeris, obſecro; quin potius, ſicut mitiſſimi ac clementiſſimi Dei Mater es, ita me peccatorem benigniſſime ſuſcipe, & meam ſordidiſſimam, impuriſque labiis meis expreſſam orationem clementer admitte: necnon dulcem quidem Filium tuum, meum autem Dominum ac Deum maternis pietatis tuæ viſceribus amanter, libenterque exora, ut ipſe mihi quoque illa inexhauſtæ miſericordiæ ſuæ viſcera reſerare dignetur; & poſtpoſitis innumerabilibus peccatis meis ad ſalutarem me pœnitentiam convertat, ſuaque me rectius complere mandata faciat. Adeſto mihi nunc, & ſemper, o Virgo Dei Genitrix, Mater miſericordiæ, benigna & clemens, in præſenti quidem vitæ curſu fervens protectrix, atque auxiliatrix, hoſtiles quoſcumque impetus a

me avertens, & in via ſalutis me conſtituens; ac in extremo vitæ articulo miſeram meam animam conſervans, & tenebroſos atque horrendos peſſimorum dæmonum aſpectus ab ea procul repellens: in tremendo autem die judicii ab æterna me damnatione liberans, & poſtremo in numerum juſtorum me referens, atque inacceſſæ tui Filii, & Dei gloriæ me hæredem efficiens. Quod utinam per piam interceſſionem tuam, atque patrocinium, Domina mea, ſanctiſſima Dei Mater, mihi, & omnibus humiliter ad te recurrentibus, & ſpem totam in te figentibus, poſt hoc exilium concedatur, gratia, miſeratione, & benignitate unigeniti Filii tui, Domini Dei ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quem decet omnis gloria, honor, potentia, & adoratio, cum æterno ejus Patre, & ſancto ac vivifico Spiritu, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen (275).

DIE

(275) *Oratio S. Ephrem Syri ad ſanctiſſimam Dei Genitricem.*

DIE XXVII. MENSIS.

I.

Deo dicit cum Propheta: Miſerere mei, quoniam infirmus ſum. *Pſ. 6.*

MEmorare, Domine, quæ ſit mea ſubſtantia. Memento, Domine, quia terra ſum. Memento quia cinis & pulvis ſum. Medicinam, qua ſaner, tribue. Medicinam, qua curer, impende. Ego *miſer* cecidi in foveam peccatorum meorum. Ego *indignus* cecidi in profundum inferni. Deus meus libera animam meam captivam ab inferno: non concludat me profundum: non abſorbeat me infernus, non urgeat ſuper me puteus os ſuum (276). Te, Domine, moveat & inclinet ad miſericordiam humanæ fragilitatis conſideratio, qui noſti quæ ſit hominis ſubſtantia (277). *Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum.* Ex peccato primi parentis pœnam contraxi magnæ infirmitatis: non enim quod volo, ago; ſed quod odi malum, illud facio (*Rom.* 7.). *Infirmus ſum*, quia ad malum

(276) *Incertus Auct. in lib. de modo bene vivendi ſerm. 27. inter Op. S. Bernardi.* (277) *In formula privatæ confeſſionis incerti Auct. inter Op. S. Bernardi.*

lum pronus ſum. Sed tu Domine, animarum debilium velox medicus, *ſana me* .... Ecce in conſpectu boni medici, & curare valentis aſſiſto, vulnera detego, preces emitto, dolores augeo, lacrymas effundo. Cur ergo diſſimulas, cum non ſit tibi minor potentia, quam voluntas (278)? Quare infirmitatis meæ oblitus es? Quid eſt enim homo, niſi quia viſitas eum? Non ergo obliviſcaris infirmum. Memento, Domine, quia infirmum me feciſti: memento quia pulverem me finxiſti. Quomodo ſtare potero, niſi ſolidaturus hoc lutum ſemper intendas, ut de vultu tuo ſoliditas mea prodeat (279)? Ne obliviſcaris figmentum *meum*, ne *obliviſcar* gratiam tuam (280). Ne ultra miſereri differas, peto: imo *convertere Domine* (*Pſ. 6.*). Sicut anima mea converſa eſt ad te per turbationem pœnitudinis, ita tu convertere ad eam per ſerenitatem miſerationis. Et converſus, *eripe animam meam* (*Pſ. 6.*), ... extra omnem peccati appetitum illam tuæ manu fortitudinis trahe. *Salvum me fac propter miſericordiam tuam* (*Pſ. 6.*)....
Non de meis meritis confidens, me ut ſalvum facias ſupplico, ſed de ſola miſericordia tua præſumens impetrare, quod non de meis

(278) *S. Greg. Papa Expoſit. in ſept. Pſal. pœnit.* (279) *S. Ambroſ. de Interpellatione David lib. 2. cap. 6.* (280) *S. Aug. Enar. in Pſ.* 102.

meis meritis ſpero .... Adeſt miſeria, adſit & miſericordia (281).

II.

In nomine Jeſu ſpem omnem reponens, Jeſum humiliter invocat, quem ſuperbe provocavit.

O quanta fiducia accreſcit mihi ex tuo nomine, bone Jeſu! Jeſus es Domine, Jeſus es. Agnoſcito nomen tuum; nomen quod tibi Pater tuus impoſuit eſt Jeſus; eſto mihi Jeſus. Captivus ſum, fateor, peccatorum nexibus irretitus ſum, concatenatus iniquitatibus meis, & compedibus ſcelerum meorum compeditus ſum: agnoſco quod ego ſum; tu Domine Jeſu agnoſcito etiam quod tu es. Numquid aliorum es Salvator, niſi perditorum, niſi captivorum? Si non eſt miſer, ſi non eſt captivus qui ſalvetur, cujus eris Domine tu Salvator? Si ego negavi te, tu Domine fidelis es, & te ipſum negare non potes (282). Eſto *igitur* mihi Jeſus, eſto mihi Salvator meus, miſerere mei, qui pro me pium cruorem fudiſti. Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia nullus juſtificabitur homo, niſi per teipſum ei peccatorum ſuorum tribuatur remiſſio. Non me tua judi-

 cia-

(281) *S. Greg. loc. cit.* (282) *S. Thomas a Villan. Conc. de Circumciſ. Dom.*

ciaria ſententia premat, quem tua multa pietas levat (283). Ut meis peccatis propitius ſis, obſecro, non ob meam exactam pœnitentiam, verum ob tuam benignitatem, qua benignus nominaris, & quia in tuo nomine meas ſpes defixi (284). Jeſu, Jeſu, propter hoc nomen tuum, fac mihi ſecundum hoc nomen tuum. Jeſu, Jeſu, obliviſcere ſuperbum provocantem, reſpice miſerum invocantem nomen dulce, nomen delectabile, nomen confortans peccatorem, & beatæ ſpei. Quid eſt enim Jeſus, niſi Salvator? Ergo Jeſu, propter temetipſum eſto mihi Jeſus: qui me plaſmaſti, ne peream: qui me redemiſti, ne condemnes: qui me creaſti tua bonitate, ne perimas opus tuum mea iniquitate. Rogo, piiſſime, ne perdat mea iniquitas, quod fecit tua omnipotens bonitas. Recognoſce, benigniſſime, quod tuum eſt, & abſterge quod alienum eſt (285). Opus tuum in me vide, non meum. Nam meum ſi videris, damnas: tuum ſi videris, coronas (286). Jeſu, Jeſu, miſerere dum tempus eſt miſerendi, ne damnes in tempore judicandi. Quæ namque tibi utilitas in ſanguine meo, ſi deſcendero in æternam corruptionem? *Neque enim mortui laudabunt te, Domine, neque omnes qui deſcendunt*

(283) *Ab. Ogerius ſerm.* 11. *in Cœna Domini inter Op. S. Bernardi*. (284) *Theod. Cyr. in Pſ.* 24. (285) *S. Anſelm. in lib. Medit.*, *medit.* 2. (286) *S. Aug. Enar. in Pſ.* 137.

dunt in infernum (*Pſ.* 113.) . Si me admiſeris intra latiſſimum tuæ miſericordiæ ſinum, non erit anguſtior propter me, Domine. Admitte ergo, o deſideratiſſime Jeſu, admitte me intra numerum electorum tuorum, ut cum illis te laudem, te perfruar, & glorier in te inter omnes qui diligunt nomen tuum (287).

I I I.

Puriſſimam Jeſu Matrem invocat.

REgina Angelorum, Domina mundi, Mater ejus qui mundat mundum, confiteor quia cor meum nimis eſt immundum, ut merito erubeſcat in tam mundam intendere, nec digne poſſit tam mundam intendendo contingere. Te igitur, mater illuminationis cordis mei, te, nutrix ſalutis mentis meæ, te obſecrant quantum poſſunt cuncta præconia mea. Exaudi, Domina mea, adeſto propitia, adjuva potentiſſima, ut mundentur ſordes mentis meæ, ut illuminentur tenebræ meæ. ... Fac ut amor tui ſemper ſit mecum, & cura mei ſemper ſit tecum: fac ut clamor neceſſitatis meæ, quamdiu ipſa perſiſtit, ſit mecum, & reſpectus pietatis tuæ, quamdiu ego ſubſiſto, ſit tecum: fac ut congratulatio beatitudinis tuæ ſemper ſit mecum, & compaſ-

(287) *S. Anſelm. loc. cit.*

ſio miſeriæ meæ, quantum mihi expedit, ſit tecum (288). O intemerata & in æternum benedicta, ſpecialis & incomparabilis Virgo, Dei Genitrix Maria, ... inclina aures tuæ pietatis, & illos tuos miſericordes oculos indignis ſupplicationibus meis, & eſto mihi peccatori pia in omnibus auxiliatrix (289).

DIE XXVIII. MENSIS.

I.

Præcipuas commemorat miſericordias Domini, quas in æternum cantabit.

O Sapientia, quæ aperis os mutorum, o Verbum, per quod facta ſunt omnia, aperi os meum, da mihi vocem laudis, ut enarrem omnia beneficia tua, quæ mihi, Domine, a principio contuliſti. Ecce enim ſum, quia tu creaſti me (290). Ex tam multiplici numero poſſibilium creaturarum excitaſti me, *quoniam ſic fuit placitum ante te* (*Matth.* 11.). ... Inter fideles genitus, illuminatus fide tua, & regeneratus ſum Baptiſmo tuo, & adjeciſti magnificare me, cum me docuiſti legem tuam,

(288) *Idem orat.* 52. (289) *Idem orat.* 53.
(290) *Lib. Soliloq. in Append. Op. Aug. cap.* 7.

tuam, & ſecreta tua non abſcondiſti a me. Numero filiorum tuorum adjunxiſti me, & ſacerdotum tuorum collegio aggregaſti me. ... Cum maximis criminibus, & deteſtabilibus vitiis implicatus, fœdus & abominabilis eſſem coram oculis tuis, diſſimulaſti Domine, & deſpexiſti animadvertere, nec imputaſti, ... & ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ, non ſolum contentus fuiſti diſſimulare, inſuper & recepi *de manu tua duplicia pro omnibus peccatis meis* (*Iſ.* 40.); & *ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia*, & miſericordia tua (*Rom.* 5.). Contendebam tecum, Domine: tu addere miſericordiam ſuper miſericordiam, benignitatem ſuper benignitatem, ego malitiam malitiæ, nequitiam nequitiæ adjungere: ſecundum duritiam cordis mei, & cæcitatem oculorum meorum ſplendebas cordi meo, & oculos avertebam: vocabas, & renuebam: tacebas, & irritabam. Viciſti me Domine, & victus ſum. *Fortior me fuiſti, & invaluiſti* (*Jerem* 20.). Sic enim dignum erat, ut ſapientia tua vinceret malitiam, & ego confuſus, & tu glorioſus appareres. Vicit bonitas tua iniquitatem meam, clementia tua duritiam, & pertinaciam meam. Victus a te benedico te, toto corde meo glorifico nomen tuum, & victoriæ tibi victori ſpolia reddo. Poteras, Domine, vindicare te, poteras rejicere me (291). Semper in luto jacuiſſem, niſi

(291) *S. Thom. a Vill. Conc. in Dom. 4. Quadr.*

tu me erexiſſes; ſemper cæcus fuiſſem, niſi tu me illuminaſſes. Quando cecidi, nunquam ſurrexiſſem, niſi tu mihi manum porrexiſſes. Poſtquam me erexiſti, ſemper cecidiſſem, niſi tu me ſuſtinuiſſes: ſæpius periiſſem, niſi tu me gubernaſſes (292). O quot homines minus peccaverunt, & multo minus quam ego, & ſtatim abſorpti ſunt, & ardent perpetuo, facti in combuſtionem & cibum ignis! O quot viis, quot modis immerito, & demerito mihi, perfido, immundo procuraſti ſalutem, & allexiſti ad te!... Cum adhuc virulentus & cervicoſus fugam pararem, detinuiſti invitum, & cum nec ſic quieſcerem a malitia, non ceſſaſti a miſericordia; augebam delicta, augebas beneficia; uſque dum jam laſſus a via iniquitatis dedi tibi Domino Deo meo manus victas, ſubjiciens cervicem meam duriſſimam jugo tuo ſuaviſſimo, & oneri tuo leviſſimo. Recordabor ergo apud te in gloria tua, Domine, inceſſanter, cum tripudio, & admiratione, & pleno ore ex medullis cordis miſericordias has tibi cantabo, dicens: Benedictus es Domine, qui ſic feciſti mecum, qui ſic magnifice & benigniſſime reſpexiſti me creaturam tuam, nec reliquiſti ut perirem (293).

II.

(292) *Lib. Soliloq. &c. cap.* 15. (293) *S. Thom. a Villan. loc. cit.*

Rogat pro amicis .

VUlt, pie Domine, vult ſervus tuus orare te pro amicis ſuis; ſed revocatur reus tuus a delictis ſuis. Qui enim mihi veniam exorare non ſufficio, qua fronte gratiam tuam aliis rogare præſumo? Et qui anxius interceſſores quæro, qua fiducia pro aliis intercedo? ... Pie, & bone Deus, ... ſi oratio mea non meretur prodeſſe illis, quia tibi offertur a peccatore; valeat illis, quia fit te jubente auctore. Propter te ergo, tu auctor & dator charitatis, propter te, non propter me dilige eos, & fac ut ipſi te toto corde, tota mente, tota anima diligant; ut ſola quæ tibi placent, & illis expediunt, velint, loquantur, & faciant. Nimis tepida, Domine mi, nimis tepida eſt oratio mea, quia parum fervida eſt charitas mea. Sed ne metiaris eis, tu dives in miſericordia, beneficium tuum ſecundum torporem meæ devotionis; ſed ſicut tua benignitas ſuperat omnem humanam charitatem, ita tua exauditio tranſcendat affectum meæ ſupplicationis. Fac illis & de illis, Domine, quod ipſis expedit ſecundum tuam voluntatem; ut ſic a te regantur & protegantur ſemper & ubique, quatenus & ad glorioſam, & ad æternam perveniant ſecuritatem (294).

III.

(294) *S. Anſelm. orat. 23.*

III.

Orat pro inimicis.

OMnipotens & pie Domine Jeſu Chriſte, quem opto propitium amicis meis, coram te eſt etiam quid exoptet cor meum inimicis meis. ... Tu ergo, Domine, qui ſolus es potens, tu qui ſolus es miſericors, quidquid ipſe facis me deſiderare inimicis meis, & illis tribue, & mihi retribue. Et ſi quid aliquando exopto illis extra regulam charitatis, aut ignorantia, aut infirmitate, aut malitia, bone Domine, hoc ne illis tribuas, nec mihi retribuas. Qui es lux vera, illumina cæcitatem illorum. Qui es ſumma veritas, corrige errorem illorum. Qui es vita vera, vivifica animas illorum. ... Obſecrat te ſervus tuus pro conſervis ſuis, ne offendant benignitatem tam magni, tam boni Domini propter me, ſed reconcilientur tibi, & concordent mihi ſecundum voluntatem tuam propter te. Hæc eſt vindicta, quam vult exigere ſecretum cordis mei de conſervis, & inimicis, & compeccatoribus meis. Hæc eſt pœna, quam orat anima mea de conſervis, & inimicis meis; ut te, & invicem, ſicut tu vis & nobis expedit, diligamus. ... Hanc ultionem poſcit præparari omnibus malevolis, & malefactoribus ſuis hic peccator tuus. Hanc præpara tu, Domine clementiſſime, peccatori

tuo,

tuo. Age ergo, bone Creator, & miſericors Judex meus, age per inæſtimabilem miſericordiam tuam, dimitte mihi omnia debita mea, ſicut & ego coram te dimitto omnibus debitoribus meis.... Oravi, Domine, ut potui; ſed plus volui, quam potui. Exaudi, exaudi tu ſicut potes, qui quod vis potes. Oravi ut infirmus & peccator; exaudi, exaudi tu ſicut potens & miſerator (295).

DIE XXIX. MENSIS.

I.

Cum pœnitente Davide confugit ad Patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis.

M*Iſerere mei Deus, ſecundum magnam miſericordiam tuam* (*Pſ.* 50.). Subveni gravi vulneri ſecundum medicinam tuam. Grave eſt quod habeo, ſed ad omnipotentem confugio. De meo tam lethali vulnere deſperarem, niſi tantum medicum reperirem. ... *Iniquitatem meam ego cognoſco* (*Pſ.* 50.). Non, Domine, non erit impunitum peccatum meum: novi juſtitiam ejus, cujus quæro miſericordiam: non impunitum erit, ſed ideo nolo

(295) *S. Anſelm. orat.* 24.

nolo ut tu me punias, quia ego peccatum meum punio: ideo peto ut ignoſcas, quia ego agnoſco (296). *Tibi ſoli peccavi* (*Pſ.* 50.). In tua dona ingratus fui, legeſque mihi poſitas tranſgreſſus ſum, cumque univerſa bona conſecutus ſim, erga hæc beneficii immemor factus ſum. ... Ego quidem nulla venia me ipſum dignum puto, cum poſt tot dona ingratus evaſerim (297); ſed *tu Domine ſuavis, & mitis, & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus te* (*Pſ.* 85.). Natura bonus es, & benignus, & liberalis his, qui ad fontes tuæ miſericordiæ confugiunt. Tali igitur benignitate utens, benigne meas preces admitte (298). *Tu es ipſe Rex meus, & Deus meus* (*Pſ.* 43.). Tu me ſoles ducere, tu me ſoles regere, tu mihi ſoles ſubvenire (299). Tu es ſalutare vultus mei, tu ſanabis me. Æger ad te loquor: agnoſco medicum, non me jacto ſanum (300). Ex ægritudine defluo, cura & ſtabo: confirma, & firmus ero. ... Abundat iniquitas *mea*, abundat & miſericordia tua (301). Multi & magni ſunt ... languores mei, multi ſunt & magni, ſed amplior eſt medicina tua. ... Ecce Domine, jacto in te curam meam ut vivam, & conſiderabo mirabilia de

lege

(296) *S. Aug. Enar. in Pſ.* 50. (297) *Theodoret. Cyr. in Pſ.* 50. (298) *Idem in Pſ.* 85. (299) *S. Aug. Enar. in Pſ.* 43. (300) *Idem Enar. in Pſ.* 42. (301) *Idem Enar. in Pſ.* 85.

lege tua. Tu ſcis imperitiam meam, & infirmitatem meam: doce me, & ſana me (302).

I I.

Divinæ miſericordiæ dignis pœnitentiæ fructibus reſpondere exoptat.

GRatias tibi ago, miſericordiſſime Domine, qui me miſerum multumque negligentem peccatorem a principio, & a cunabilis per univerſa pene vitia, & peccata decurrentem, benigne & patienter adhuc ad pœnitentiam expectas, nolens me perdere cum peccatis, vitiis, culpis, & negligentiis meis. Si enim mihi, Domine, ſecundum peccata mea facere voluiſſes, olim me terra vivum abſorbere debuiſſet. Sed rogo, pie Domine, ne tua in me expectatio ſit vacua, ſit, quod abſit, infructuoſa. Tu qui non vis mortem peccatoris, da mihi de præteritis malis meis indulgentiam, de præſentibus concede emendationem, de futuris vero largire jugiter cuſtodiam atque cautelam. Da locum & ſpatium ad dignos pœnitentiæ fructus. Aperi oculos cordis mei per Spiritum ſanctum tuum, ut videam & plangam omnia peccata mea. Domine, tempus eſt acceptabile, & dies ſunt ſalutis. Miſerere mei, Domine, & ne perdas me cum peccatis meis, ne reſerves ma-

la

(302) *S. Aug. lib.* 10. *Confeſſ. cap.* 43.

la mea punienda in illa futura vita, in illis infernalibus ſuppliciis, in illo tremendo examine tuo. Propter magnam clementiam tuam ſolve omnium peccatorum meorum vincula, priuſquam ab hac vita egrediar. Da mihi cor contritum, & humiliatum, da mihi gratiam lacrymarum. Da lumen in corde, da vires in corpore; ut quæ agenda ſunt videam, & ad ea implenda, quæ videro, fortiter convaleſcam cunctis diebus vitæ meæ (303).

III.

Virginis Mariæ auxilium implorat.

O beatiſſima, & ſanctiſſima ſemper Virgo Maria, ecce adſto mœrens ante faciem pietatis tuæ, & confundor nimis pro abominationibus peccatorum meorum, quibus deformis factus ſum & horribilis coram Deo, & te, & Angelis ejus, & Sanctis omnibus. ... Propterea flens & ejulans deprecor, Domina, quatenus a me quatriduo mortuo, intolerabili fœtore jam pleno, faciem tuam non avertas, ſed potius adſpicias quam gravi ulcere percuſſus ſum, & conſideres qualiter me cæleſti medicamine cures, atque Filio tuo Domino noſtro Jeſu Chriſto ... me emundatum reſtituas... Clementiſſima Regina & Domina,

(303) *S. Anſelm. medit.* 18.

mina, ne contemnas me (304). Monſtra te eſſe Matrem, ſumat per te preces, qui pro nobis natus tulit eſſe tuus. O Virgo! ſi tu *me* deſpicis, quis *me* reſpiciet? Si tu *me* projicis, quis *me* defendet? Si tu abjicis, ad quem *ibo*, & ad quem *me recipiam*, ad quem *confugiam* (305)? Te requiro, ad te confugio; & ut me per omnia adjuves, ſuppliciter peto. Te tacente nullus orabit, nullus juvabit. Te orante omnes orabunt, omnes juvabunt. Millies centena millia hominum, Regina piiſſima, ad te clamant, & omnes ſalvantur: & ego clamabo ad te, & non auxiliabor?... Exaudi miſerum, & ſolare mœrentem; recollige errantem, refove deſperantem (306). Eſto mihi ſalvatrix & adjutrix apud Deum omnipotentem, ut ipſe me pius Paſtor, & Princeps pacis a peccatorum meorum maculis emundet, & ab inferni pœnis eripiat, & ad vitam perducat æternam (307).

DIE

(304) *Idem orat.* 46. (305) *S. Thomas a Villan. Conc. in Rogation.* (306) *S. Anſelm. orat.* 46. (307) *Idem orat.* 48.

DIE XXX. MENSIS.

I.

Jeſu Chriſti divinitatem confitetur, amorem commendat, clementiam exorat.

PAtere me, Domine Jeſu Chriſte, patere tuam ineffabilem bonitatem inſpicere, & quam dulcis & bonus ſis erga peccatores enarrare (308). Cum enim adhuc eſſemus inimici tui, ... recordatus es uberrimæ miſericordiæ tuæ, & proſpexiſti de ſublimi habitatione tua in hanc vallem plorationis & miſeriæ. Vidiſti, Domine, afflictionem populi tui, & tactus dolore charitatis intrinſecus, appoſuiſti cogitare ſuper nos cogitationes pacis & redemptionis. Et quidem cum eſſes Filius Dei, verus Deus, ... non deſpexiſti in hoc noſtræ mortalitatis ergaſtulum altitudinem tuam inclinare, ubi noſtram & guſtares, & abſorberes miſeriam, noſque reparares ad gloriam (309). De ſinu Patris deſcendiſti, Virginis uterum intraſti, carnem ex ea veram aſſumpſiſti, in mundo converſans omnes peccatores ad pœnitentiam vocaſti, ... crucis patibulum pro illis pertuliſti; & ſic mortuus ſecundum carnem, vitam quam juſte pro ſuis peccatis

(308) *S. Anſelm. medit. 6.* (309) *Idem medit. 9.*

catis perdiderant, illis reddidiſti. Itaque cum reſpicio ad mala opera, quæ operatus ſum; ſi me judicare vis ſecundum quod merui, certus ſum de perditione mea: cum vero reſpicio ad mortem tuam, quam pro redemptione peccatorum paſſus es, non deſpero de miſericordia tua (310). Peccator ſum, o miſericordiſſime Jeſu. Miſerere mei, qui non veniſti vocare juſtos, ſed peccatores. Fons patens domui David, appare, & effundere, & ablue me. Patens es enim omnibus ſitientibus te, & omnes omnium vere pœnitentium ſordes abluis, reddens eis, o dulciſſime Jeſu, bonum pro malo, donum pro iniquitate, meritum pro delicto, pro facinore juſtitiam, & gratiam pro culpa.... Fac ergo opus tuum, pie Jeſu, & ſalva me. Vocaris enim Jeſus non ob aliud, niſi quia tu ſalvum facies populum tuum a peccatis eorum (311).

II.

Cupit diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.

O Domine Jeſu, quid dulcius, quid delectabilius, quid jucundius quam eſſe tecum in paradiſo?... Quid adhuc in hujus peregrinationis ærumna conſtitutus, tam longe exulo a deliciis paradiſi Dei mei? O bone Je-

(310) *Idem medit.* 6. (311) *Idem medit.* 12.

Jeſu eſto mihi Jeſus (312). O Jeſu, Jeſu, utinam merear te videre mihi Jeſum.... Nihil aliud volo, nihil aliud quæro, nihil aliud deſidero, nihil aliud cupio, niſi te videre Dominum & Deum meum.... Confido in miſericordia tua, quia adhuc te videbit anima mea; & ſatiabor de te, & a te, & in te, non meritis meis, ſed miſerationibus tuis magnis, & multis (313). Sicut terra ſine aqua, ſitit vehementer te anima mea, & concupiſcit te cor meum.... Velut captiva detinetur mens mea, te ſolum Salvatorem verum requirens.... Te, Domine, qui abſque ſatietate delectas, concupiſco, & te lumen verum, datoremque ſalutis ſitio (314). Jam nihil libet niſi audire te, ad tuos pedes ſedere, tecum colloqui. Te ſolum ſitio, te ſolum deſidero (315). Quæſivi vultum tuum, vultum tuum, Domine, requiram; ne avertas faciem tuam a me. Amator hominum benigniſſime, tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor. Mi advocate tutiſſime, miſerere mei orphani derelicti; pupillus factus ſum abſque patre, anima mea quaſi vidua. Reſpice orbitatis, & viduitatis meæ lacrymas, quas tibi offero, donec redeas. Eja jam Domine, eja ap-

(312) *Ab. Oger. ſerm.* 4. *in Cæna Domini inter Op. S. Bernardi*. (313) *Idem ſerm.* 6. *in Cæna Dom.* (314) *S. Ephrem Syrus de vita Religioſa, atque Monaſt.* (315) *S. Thom. a Villan. Conc.* 2. *in Feſto Sanctæ Crucis*.

appare mihi, & conſolatus ero: oſtende mihi faciem tuam, & ſalvus ero. Exhibe præſentiam tuam, & conſecutus ero deſiderium meum. Revela gloriam tuam, & erit perfectum gaudium meum (316). Eja, Domine, moriar, ut te videam.... Nolo vivere, volo mori: diſſolvi cupio, & eſſe cum Chriſto. Mori deſidero, ut videam Chriſtum: vivere renuo, ut vivam cum Chriſto. O Domine Jeſu accipe ſpiritum meum: vita mea, ſuſcipe animam meam: gaudium meum, attrahe cor meum (317). O mi dilectiſſime Sponſe Jeſu Chriſte,... quando ad plenum me recolligam in te, ut præ amore tuo non ſentiam me (318)? Jeſu bone, quando ſtabo ad videndum te? quando contemplabor gloriam regni tui? Quando eris mihi omnia in omnibus (319)? O Jeſu, ſplendor æternæ gloriæ, ſolamen peregrinantis animæ, apud te eſt os meum ſine voce, & ſilentium meum loquitur tibi. Uſquequo tardat venire Dominus meus? Veniat ad me pauperculum ſuum, & lætum faciat. Mittat manum ſuam, & miſerum eripiat de omni anguſtia. Veni, veni; quia ſine te nulla erit læta dies, aut hora: quia tu lætitia mea, & ſine te vacua eſt menſa

(316) *S. Anſelm. orat.* 20. (317) *Lib. Soliloq. inter Op. Aug. in Append. cap.* 1. (318) *Thom. a Kemp. de Imit. Chriſti lib.* 3. *cap.* 21. (319) *Idem lib. cit. cap.* 48.

menſa mea (320). Veni Domine, & noli tardare. Veni Domine Jeſu, veni viſitare *me* in pace, veni & educ vinctum hunc de carcere.... Veni lux mea, Redemptor meus, educ de carcere animam meam ad confitendum nomini ſancto tuo. Quamdiu miſer jactabor fluctibus mortalitatis meæ, clamans ad te Domine, & non exaudis. Audi clamantem, Domine, de hoc mari magno, & educ me ad portum felicitatis æternæ (321). Meus es, o bone Jeſu, & undequaque meus es. Mihi natus a Matre, mihi donatus a Patre. Duplici te jure poſſideo: meus es totus, & in meos uſus expenſus. Te mihi Mater genuit, te mihi Pater dedit: omni ex parte meus es, juri huic meo in æternum non renuntio: tenui te, neque dimittam,... donec introducas me in domum matris meæ, & in ſecretum cubiculi genitricis meæ cæleſtis Jeruſalem,... ut in illo perpetuo deoſculer, & amplexer te, & jucundiſſima tua pulchritudine, & pulcherrima tua jucunditate cum Angelis perfruàr in æternum (322).

III.

(320) *Thom. a Kemp. lib. cit. cap.* 21. (321) *Lib. Soliloq. &c. cap.* 35. (322) *S. Thom. a Villan. Conc.* 8. *in Feſto Nat. Dom.*

III.

Actum elicit amoris.

DA mihi te Deus meus, redde te mihi: te enim amo, & ſi parum eſt, amem validius (323). Deus meus, amor meus: tu totus meus, & ego totus tuus (324). O Domine, amabo ego te, etiamſi nihil conferas pro amore. Imo etiamſi æternos cruciatus pro tua dilectione ſuſtinere deberem, non poſſem non amare te. Ut quid enim ego non amabo Conditorem meum, Patrem meum, Magiſtrum meum, Regem meum, Redemptorem meum (325)? Quomodo potero continere cor meum, Domine, ut non amet te? Si non amavero te, quid amabo? Si tranſtulero amorem meum a te, ubi ipſum digne collocabo? Deſiderabilis Domine, ubi extra te requieſcerent deſideria mea (326)? Te ſolum amo, te ſolum ſequor, te ſolum quæro, tibi ſoli ſervire paratus ſum; quia tu ſolus juſte dominaris, tui juris eſſe cupio..... Si fide te inveniunt, qui ad te refugiunt, fidem da: ſi virtute, virtutem: ſi ſcientia, ſcientiam. Auge in me fidem, auge ſpem, auge chari-

(323) *S. Aug. lib.* 13. *Confeſ. cap.* 8. (324) *Thom. a Kemp. de Imit. Chriſti lib.* 3. *cap.* 5. (325) *S. Thom. a Villan. Conc. in Dom.* 12. *poſt Pentec.* (326) *S. Anſelm. medit.* 13.

charitatem (327). Da cor quod te cogitet, animum qui te diligat, mentem quæ te recolat, intellectum qui te intelligat, rationem quæ tibi ſemper ... fortiter adhæreat, te ſapienter diligat (328).

DIE XXXI. MENSIS.

I.

Filio prodigo ſe comparat, atque cum eo cæleſtis Patris clementiam implorat.

O Domine Jeſu, Verbum Patris, lumen indeficiens, ... ecce ſervus tuus coram te corde proſtratus clamat ad te totis deſideriorum ſuorum præcordiis, in ſpiritu humilitatis, & animo contrito. Ego, o Domine, ego ſum prodigus ille, qui cæleſte patrimonium, omnemque ſubſtantiam carnaliter vivendo diſſipavi, atque conſumpſi (329). Ecce fateor tibi, ambulavi ſemitam meam, factus ſum longinquus a te, cum quo mihi bene erat (330). Peccavi in cælum, & coram te,

(327) *S. Aug. lib.* 1. *Soliloq. cap.* 1. (328) *Lib. Soliloq. incerti Auct. inter Op. Aug. in Append.* (329) *S. Laurent. Juſtin. de Triumphali Chriſti agone cap.* 4. (330) *S. Aug. Enar. in Pſal.* 138.

te, Domine Deus omnipotens, & non ſum amplius dignus vocari filius tuus, neque ſurſum aſpectum tollere, ... præ multitudine iniquitatum mearum. ... Cælo & terra indignum me reddidi, quia te optimum Dominum exacerbavi. Precor, obteſtorque, Domine, ne me a facie tua projicias, neque recedas a me, ne miſer peream (331). Fac me ſicut unum ex mercenariis tuis: prædicabitur inde, pie Pater, clementia tua, nec minuentur divitiæ tuæ, ſi mihi ad te cupienti redire occurras, ſi me miſericordiæ tuæ brachiis amplectaris, ſi me fidei anulo, & ſtola juſtitiæ veſtiri præcipias (332). Oſtende igitur in me, piiſſime Pater, clementiam tuam, pateat mihi venia, pateat indulgentia: non abneges, obſecro, uni, quod plurimis contuliſti. Scelera mea non defendo; peccatum meum coram te confiteor; diſplicet mihi quod feci: diſplicet quod erravi: diſplicet quod Majeſtatem tuam offendi: peccatum meum accuſo, culpam meam agnoſco. ... Suſcipe, quæſo, omnipotens Deus, clamorem pœnitentis, audi vocem precantis, exaudi vocem peccatoris ad te clamantis. Peccavi, Deus miſerere mei: peccavi, Deus propitius eſto mihi peccatori (333). Tu, piiſſime Pater, ſuſcipe venientem, pœnitenti occurre, atque eſurienti ſaginati vituli alimoniam

(331) *Oratio S. Ephrem Syri*. (332) *S. Anſelm. medit.* 20. (333) *Oratio S. Ephrem Syri*.

niam præbe. Tu, Paſtor bone, inventam recognoſce ovem, & ne iterum errare incipiat, in humeris ad ovile reporta (334). Recipe, oro, fugitivum tuum, Domine clementiſſime Pater: jamjam ſatis pœnas dederim, ſatis inimicis tuis, quos ſub pedibus habes, ſervierim, ſatis fuerim fallaciarum ludibrium. Accipe me ab iſtis fugientem. ... Ad te mihi redeundum eſſe ſentio: pateat mihi pulſanti janua tua (335). Miſerere filii tui, quem in dolore non modico peperiſti, & noli attendere malum meum, ut obliviſcaris bonum tuum (336). Da veniam filio prodigo ad te revertenti de ſiliquis porcorum, & ſtanti ante thronum gloriæ tuæ, & poſtulanti manum miſericordiæ tuæ a mane uſque ad veſperam, donec deſcendat ros gratiæ, & pluvia conſolationis ſuper terram cordis mei, quod jam aruit, & contabuit præ multitudine peccatorum (337). Conſolare cor meum, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis; ſolatium affer bonum, fons miſericordiæ, & bonorum (338). Memento, quæſo, amoris tui, laboris tui, & operis tui: multiplica miſeri-

cor-

(334) *S. Laurent. Juſtin. de Triumphali Chriſti agone cap.* 4. (335) *S. Aug. lib.* 1. *Soliloq. cap.* 1. (336) *Lib. Medit. incerti Auct. cap.* 39. *inter Op. Aug. in Append.* (337) *Orat. Thom. a Kempis in Append. ad lib.* 4. *juxta edit. P. Sommalii*. (338) *Orat. incerti Auct. inter Op. Chryſ. Tom.* 12.

cordias tuas, revoca prodigum, ut cognoſcant omnes pariter te Patrem eſſe miſericordiarum (339). Multa feciſti a ſæculo magna & mirabilia, glorioſa & exſuperantia, quorum non eſt numerus; ſed ſi me prodigum ſerves, ſi me indignum admittas, multo magis mirabilis eris (340).

I I.

Sacrificat Deo hoſtiam laudis, & gratiarum actionis.

MAgnus es, Domine, & laudabilis valde, magna virtus tua, & ſapientiæ tuæ non eſt numerus. Et laudare te vult homo, aliqua portio creaturæ tuæ; & homo circumferens mortalitatem ſuam, circumferens teſtimonium peccati ſui (341). Sine me loqui apud miſericordiam tuam, me terram & cinerem (342). Te laudet anima mea ut amet te; & confiteatur tibi miſerationes tuas, ut laudet te (343). Tu excitas ut laudare te delectet, quia feciſti nos ad te, & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in te (344).

 Quæ-

(339) *S. Laurent. Juſtin. de Incendio divini amoris cap.* 7. (340) *Orat. incerti Auct. inter Op. Chryſ. Tom.* 12. (341) *S. Aug. lib.* 1. *Confeſſ. cap.* 1. (342) *Lib.* 1. *Confeſſ. cap.* 6. (343) *Lib.* 5. *Confeſſ. cap.* 1. (344) *Lib.* 1. *Conf. cap.* 1.

Quæram te, ut vivat anima mea. Vivit enim corpus meum de anima mea, & vivit anima mea de te (345). Non ego vita mea ſim; male vixi ex me, mors mihi fui; in te reviviſco (346). Quæram te, Domine, invocans te, & invocem te credens in te, prædicatus enim es nobis. Invocat te, Domine, fides mea quam dediſti mihi, quam inſpiraſti mihi per humanitatem Filii tui (347). Deus meus recorder in gratiarum actione tibi, & confitear miſericordias tuas ſuper me. Perfundantur oſſa mea dilectione tua, & dicant: Domine, quis ſimilis tibi? Diſrupiſti vincula mea, ſacrificem tibi ſacrificium laudis (348). Diligam te, Domine, & gratias agam, & confitear nomini tuo, quoniam tanta dimiſiſti mihi mala, & nefaria opera mea. Gratiæ tuæ deputo, & miſericordiæ tuæ, quod peccata mea tamquam glaciem ſolviſti (349). Vocaſti, & clamaſti, & rupiſti ſurditatem meam. Coruſcaſti, ſplenduiſti, & fugaſti cæcitatem meam. Fragraſti, & duxi ſpiritum, & anhelo tibi. Guſtavi, & eſurio, & ſitio. Tetigiſti me, & exarſi in pacem tuam (350). Gratias tibi dulcedo mea, & honor meus, & fiducia mea, Deus meus. Gratias tibi de donis tuis; ſed tu mihi ea ſerva. Ita enim ſer-

(345) *Lib.* 10. *Conf. cap.* 20. (346) *Lib.* 12. *Conf. cap.* 10. (347) *Lib.* 1. *Conf. cap.* 1. (348) *Lib.* 8. *Conf. cap.* 1. (349) *Lib.* 2. *Conf. cap.* 15. (350) *Lib.* 10. *Conf. cap.* 39.

ſervabis me, & augebuntur, & perficientur quæ dediſti mihi, & ero ipſe tecum; quia & ut ſim, tu dediſti mihi (351).

I I I.

Ad beatiſſimam Virginem Mariam confugit, ut animæ conſequatur ſanitatem.

MAter ſancta, mater unica, mater immaculata, mater incorrupta, mater miſericordiæ, mater pietatis & indulgentiæ, aperi ſinum pietatis, & ſuſcipe mortuum in peccatis. Ecce, Domina, filius prodigus, nudus & attritus pedibus, de loco horroris, de nebula immunditiæ & fœtoris ſuſpirat, clamat, & appellat matrem, non immemor quoties eum foveris, texeris, excuſaveris apud Patrem (352). Tibi, o genitrix vitæ, o mater ſalutis, o templum pietatis & miſericordiæ, tibi ſeſe conatur præſentare miſerabilis anima mea morbis vitiorum languida, vulneribus facinorum ſciſſa, ulceribus flagitiorum putrida, tibi nititur quantum moribunda valet ſupplicare, ut potentibus tuis meritis, & piis tuis precibus digneris eam ſanare.... O tu illa pie potens, & potenter pia Maria, de qua ortus eſt fons miſericordiæ, ne contineas, precor, tuam veram miſericordiam, ubi tam ve-

(351) *Lib.* 1. *Conf. cap.* 20. (352) *S. Anſelm. in lib. Orat.*, *orat.* 49.

veram agnoſcis miſeriam .... Si ego confiteor nequitiam meam, tu ne abnegabis benignitatem tuam? Si major eſt miſeria mea, quam mihi expediat; erit ne minor miſericordia tua, quam te deceat? Quanto enim, o Domina, magis delicta mea in conſpectu Dei, & tuo ſordent, tanto magis ejus curatione, & tua ſubventione egent. Sana ergo, clementiſſima, infirmitatem, & delebis quæ te offendit fœditatem. Aufer, benigniſſima, languorem, & non ſenties quem horres fœtorem .... Sana animam peccatoris ſervi tui, per virtutem benedicti fructus ventris tui, qui ſedet in dextera omnipotentis Patris ſui, ſuperlaudabilis & ſupergloriofus in ſæcula (353).

(353) *S. Anſelm. orat.* 50.

FINIS.

Sancta, veneranda, perfecta, atque inſeparabilis Trinitas, quæ tota a nobis fide coleris atque adoraris, tuum eſt hoc opus, quod ego ex Patrum famulorum tuorum libris, te adjuvante, atque illuminante ... excerpſi. Incertus Auctor Tractatus de Trinit. Tom. 2. Oper. S. Ambroſ. in Append.

PRÆ-

PRÆPARATIO AD MISSAM

Pro opportunitate Sacerdotis facienda.

Antiph. Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum: neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

Quæ Antiphona in Feſtis Duplicibus tantum duplicatur, & tempore Paſchali additur in fine Alleluja.

Deinde dicuntur ſequentes Pſalmi.

Pſalmus 83.

QUam dilecta tabernacula tua Domine virtutum! concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.

Etenim paſſer invenit ſibi domum: & turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos.

Altaria tua Domine virtutum: Rex meus, & Deus meus.

Beati, qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit, in valle lacrymarum, in loco quem poſuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Jacob.
Protector noſter aſpice Deus: & reſpice in faciem Chriſti tui.
Quia melior eſt dies una in atriis tuis ſuper millia.
Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei: magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.
Quia miſericordiam, & veritatem diligit Deus: gratiam, & gloriam dabit Dominus.
Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: Domine virtutum, beatus homo qui ſperat in te.
Gloria Patri.

Pſalmus 84.

Benedixiſti Domine terram tuam: avertiſti captivitatem Jacob.
Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ: operuiſti omnia peccata eorum.
Mitigaſti omnem iram tuam: avertiſti ab ira indignationis tuæ.
Converte nos Deus ſalutaris noſter: & averte iram tuam a nobis.
Numquid in æternum iraſceris nobis? aut extendes iram tuam a generatione in generationem?
Deus tu converſus vivificabis nos: & plebs tua lætabitur in te.
Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam: & ſalutare tuum da nobis.
Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: quo-

quoniam loquetur pacem in plebem ſuam.

Et ſuper ſanctos ſuos: & in eos, qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum ſalutare ipſius: ut inhabitet gloria in terra noſtra.

Miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi: juſtitia, & pax oſculatæ ſunt.

Veritas de terra orta eſt: & juſtitia de cœlo proſpexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra noſtra dabit fructum ſuum.

Juſtitia ante eum ambulabit: & ponet in via greſſus ſuos.

Gloria Patri.

Pſalmus 85.

INclina Domine aurem tuam, & exaudi me: quoniam inops, & pauper ſum ego.

Cuſtodi animam meam, quoniam ſanctus ſum: ſalvum fac ſervum tuum Deus meus ſperantem in te.

Miſerere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die: lætifica animam ſervi tui, quoniam ad te Domine animam meam levavi.

Quoniam tu Domine ſuavis, & mitis: & multæ miſericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te: quia exaudiſti me.

Non eſt ſimilis tui in diis Domine, & non eſt ſecundum opera tua;

Omnes gentes quaſcumque feciſti, venient, & adorabunt coram te Domine: & glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus ſolus.

Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia miſericordia tua magna eſt ſuper me: & eruiſti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui inſurrexerunt ſuper me, & ſynagoga potentium quæſierunt animam meam: & non propoſuerunt te in conſpectu ſuo.

Et tu Domine Deus miſerator & miſericors, patiens, & multæ miſericordiæ, & verax.

Reſpice in me, & miſerere mei, da imperium tuum puero tuo: & ſalvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum ſignum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adjuviſti me, & conſolatus es me.

Gloria Patri.

Pſalmus

Pſalmus 115.

CRedidi, propter quod locutus ſum: ego autem humiliatus ſum nimis.

Ego dixi in exceſſu meo: Omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: pro omnibus quæ retribuit mihi?

Calicem ſalutaris accipiam: & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus.

O Domine, quia ego ſervus tuus, ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ.

Dirupiſti vincula mea: tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conſpectu omnis populi ejus: in atriis domus Domini in medio tui Jeruſalem.

Gloria Patri.

Pſalmus 129.

DE profundis clamavi ad te Domine: Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obſervaveris Domine: Domine quis ſuſtinebit?

Quia apud te propitiatio eſt, & propter legem tuam ſuſtinui te Domine.

Suſtinuit anima mea in verbo ejus: ſperavit anima mea in Domino.

A cuſtodia matutina uſque ad noctem ſperet Iſrael in Domino.

Quia apud Dominum miſericordia: & copioſa apud eum redemptio.

Et ipſe redimet Iſrael, ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri.

Deinde repetitur Antiphona. Ne reminiſcaris Domine delicta noſtra, vel parentum noſtrorum: neque vindictam ſumas de peccatis noſtris.

Poſtea Sacerdos dicit Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Ego dixi, Domine miſerere mei.

℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

℣. Convertere Domine aliquantulum.

℟. Et deprecare ſuper ſervos tuos.

℣. Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos.

℟. Quemadmodum ſperavimus in te.

℣. Sacerdotes tui induantur juſtitiam.

℟. Et ſancti tui exultent.

℣. Ab occultis meis munda me Domine.

℟. Et ab alienis parce ſervo tuo.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiſcum.

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

AUres tuæ pietatis, mitiſſime Deus, inclina precibus noſtris, & gratia ſancti Spiritus illumina cor noſtrum: ut tuis myſteriis digne miniſtrare, teque æterna charitate diligere mereamur.

DEus, cui omne cor patet, & omnis voluntas loquitur; & quem nullum latet ſecretum: purifica per infuſionem ſancti Spiritus cogitationes cordis noſtri, ut te perfecte diligere, & digne laudare mereamur.

URe igne ſancti Spiritus renes noſtros & cor noſtrum, Domine, ut tibi caſto corpore ſerviamus, & mundo corde placeamus.

MEntes noſtras, quæſumus Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet, & inducat in omnem, ſicut tuus promiſit Filius, veritatem.

ADſit nobis, quæſumus Domine, virtus Spiritus ſancti, quæ & corda noſtra clementer expurget, & ab omnibus tueatur adverſis.

DEus, qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de ejus ſemper conſolatione gaudere.

COnſcientias noſtras, quæſumus Domine, viſitando purifica, ut veniens Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius tuus paratam ſibi in nobis inveniat manſionem. Qui tecum vivit & regnat in unitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

GRA-

GRATIARUM ACTIO

Poſt Miſſam.

Antiph. Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant ſancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Quæ Antiphona in Feſtis Duplicibus tantum duplicatur, & tempore Paſchali additur in fine Alleluja.

Canticum trium puerorum.

Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ ſuper cœlos ſunt, Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite ſol & luna Domino: benedicite ſtellæ cœli Domino.

Benedicite omnis imber & ros Domino: benedicite omnes ſpiritus Dei Domino.

Benedicite ignis & æſtus Domino: benedicite frigus & æſtus Domino.

Benedicite rores & pruina Domino: benedicite gelu & frigus Domino.

Benedicite glacies & nives Domino: benedicite noctes & dies Domino.

Benedicite lux & tenebræ Domino: benedicite fulgura & nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.

Benedicite montes & colles Domino: benedicite univerſa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria & flumina Domino.

Benedicite cete, & omnia, quæ moventur in aquis, Domino: benedicite omnes volucres cœli Domino.

Benedicite omnes beſtiæ & pecora Domino: benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Iſrael Dominum: laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula.

Benedicite ſacerdotes Domini Domino: benedicite ſervi Domini Domino.

Benedicite ſpiritus & animæ juſtorum Domino: benedicite ſancti & humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Miſael Domino: laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula.

Benedicamus Patrem, & Filium cum ſancto Spiritu: laudemus & ſuperexaltemus eum in ſæcula.

Benedictus es, Domine, in firmamento cœli: & laudabilis, & glorioſus, & ſuperexaltatus in ſæcula.

Pſalmus 150.

LAudate Dominum in ſanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum ſecundum multitudinem magnitudinis ejus.

Lau-

Laudate eum in ſono tubæ: laudate cum in pſalterio, & cithara.
Laudate eum in tympano, & choro: laudate eum in chordis, & organo.
Laudate eum in cymbalis beneſonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis ſpiritus laudet Dominum.
Gloria Patri.
Deinde repetitur Antiphona. Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant ſancti in camino ignis, benedicentes Dominum.
Deinde Sacerdos dicit Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua.
℟. Et Sancti tui benedicant tibi.
℣. Exultabunt Sancti in gloria.
℟. Lætabuntur in cubilibus ſuis.
℣. Non nobis, Domine, non nobis.
℟. Sed nomini tuo da gloriam.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui tribus pueris mitigaſti flammas ignium: concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones noſtras, quæſumus Domine, aſpirando præveni, & adjuvando proſequere: ut cuncta noſtra oratio & operatio a te ſemper incipiat, & per te cœpta finiatur.

Da nobis, quæſumus Domine, vitiorum noſtrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuiſti tormentorum ſuorum incendia ſuperare. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

INDEX.

DIE PRIMA MENSIS.

SACERDOS

1. *Confeſſionis ſacrificium Deo offert.* Pag. 5

2. *Recogitat Deo annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ.* 6

3. *Chriſti Redemptoris, & Deiparæ Virginis miſericordiam implorat.* 9

DIE II.

1. *Variis pœnitentiæ affectibus ex ſcriptura excerptis vulnera animæ deflet.* 12

2. *Divinum expoſtulat auxilium adverſus carnis concupiſcentias.* 15

3. *Ne animæ hoſtes rurſus vincant, Virginis Mariæ ſubſidium Pſalmiſtæ verbis ſibi comparat.* 17

DIE III.

1. *Unum Deum in Trinitate, & Trinitatem in Unitate confitetur, adorat, & precatur.* Pag. 18
2. *Varia Dei beneficia commemorat, & pro ſingulis gratias agit.* 20
3. *Corpus, & animam ſuam Deo offert.* 23

DIE IV.

1. *Deum laudat.* 25
2. *Ad Dei laudes corporis membra, & animam invitat.* 26
3. *Antiphonam* Salve Regina *ſanctis affectibus auctam pie recitat.* 27

DIE V.

1. *De humanæ reparationis beneficio Chriſto Redemptori gratias agit.* 31
2. *Chriſtum adorat, & glorioſa ejus paſſionis inſignia.* 33
3. *In Virginis Mariæ clientelam ſe commendat.* 35

DIE VI.

1. *Quoniam indignus eſt, qui ad ſacrificium peragendum accedat, ideo ſe effici dignum obſecrat.* 38
2. *Petit mentis, & corporis puritatem, ut inculpatim ſacrificium peragat.* 40
3. *Orat pro populo; & pro animabus Fidelium defunctorum.* 42

DIE VII.

1. *Deum invocat, cujus bonitate fuit præventus.* 44

2. *Deum videre ardenter deſiderat.* Pag. 45
3. *Intemeratam Dei Matrem laudat, & obſecrat.* 47

DIE VIII.

1. *Neſciens quo ſe vertat, nam torrentes iniquitatis eum conturbant, in Chriſti vulnera ſe conjicit.* 50
2. *Ut peccatorum veniam conſequatur, paſſionem Filii repræſentat æterno Patri.* 51
3. *Archangeli Gabrielis verbis Mariam ſalutat, & divinam petit gratiam.* 53

DIE IX.

1. *Ad Deum clamat, dicens:* propitius eſto mihi peccatori. 55
2. *Æterno Patri ſupplicat, ad quem venire non poteſt, niſi ab eo trahatur* 57
3. *Chriſti Matrem deprecatur.* 59

DIE X.

1. *Animæ miſerias a peccato dimanatas amare deplorat, & ab æterno Verbo illuminari deſiderat.* 61
2. *Ad pedes Jeſu ſuppliciter procumbit, & ejus miſericordiam implorat.* 62
3. *Sperat ſe gratiam & miſericordiam conſecuturum precibus Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, quæ eſt Mater gratiæ, & miſericordiæ.* 65

DIE XI.

1. *Deo grates rependit de dilectionis præcepto hominibus dato.* 66
2. *Divinum petit amorem.* 67

3. *Rogat, ut moriatur anima ſua morte juſtorum.* Pag. 69

DIE XII.

1. *Spiritum Sanctum invocat.* 71
2. *A Chriſto animæ ſanitatem expoſtulat.* 72
3. *Animi afflictionibus, & anguſtiis preſſus, ad tutelam confugit divinæ Matris.* 74

DIE XIII.

1. *Cum timore, tremore, & fide auguſtiſſimum Sacrificium ut valeat peragere, Dei opem expoſcit.* 76
2. *Deum Patrem orat juxta traditam a Chriſto formam Matth. 6.* 77
3. *Rogat pro Eccleſia.* 79

DIE XIV.

1. *Se Dei ſervum dum profitetur, dolet quod ipſi non ſervierit in timore.* 81
2. *Peccata ſua deflet, eorumque veniam petit.* 83
3. *Sanctiſſimæ ſupplicat Dei Genitrici.* 85

DIE XV.

1. *Rubore ſuffunditur, quod maximis Dei beneficiis non reſpondit.* 86
2. *Quærit regnum Dei.* 88
3. *Deiparam Virginem ſibi in Matrem eligit.* 90

DIE XVI.

1. *Se omni virtute deſtitutum agnoſcens, ad Deum confugit omnium bonorum largitorem.* 92
2. *Benedictionem a Deo efflagitat de rore cæli.* 94
3. *Chriſti amorem collaudat, eumque redamandi deſiderio æſtuat.* 95

DIE XVII.

1. *Profitetur ſe in ſola Dei bonitate confidere, cum ad Altaris Sacrificium accedit.* Pag. 98
2. *Auguſtiſſimam Trinitatem enixe orat.* 100
3. *Divini Redemptoris Matrem invocat.* 101

DIE XVIII.

1. *Divinum expoſtulat auxilium.* 102
2. *Ad æternam Dei domum aſpirat.* 104
3. *Sanctos invocat.* 106

DIE XIX.

1. *A Deo petit quæ in Oratione Dominica continentur.* 108
2. *Piis, fervidiſque animi affectibus amabilem Jeſum alloquitur.* 110
3. *A Divina Matre petit, ut ipſa extremum ſuum ſpiritum excipiat.* 112

DIE XX.

1. *Se pœnitet divino hactenus caruiſſe amore.* 113
2. *A Chriſto expoſtulat lacrymarum donum.* 115
3. *Ad Dei voluntatem ſe conformat.* 117

DIE XXI.

1. *Dei Patris amorem commendat, & in Chriſto mediatore ſpem omnem collocat.* 118
2. *Angelorum panem manducare deſiderat, ut in æternum vivat.* 120
3. *Cum divino Filio ut gratiam ineat, ad divinam Matrem recurrit.* 121

DIE XXII.

1. *Dominum benedicit, qui Angelorum tutelæ homines commendavit, & cuſtodi An-*

Angelo ſupplicat. Pag. 123

2. *Dominicæ Paſſionis præcipua myſteria commemorat, & Salvatoris beneficentiam implorat.* 125

3. *Ut charitate, & dolore cor ſuum vulneretur, ſupplex adit Matrem Jeſu ſtantem juxta crucem.* 127

DIE XXIII.

1. *Deum rogat, ne in furore arguat, neque in ira corripiat.* 128

2. *In hoc mundo puniri a Deo deſiderat, ut in æternum ipſi parcat.* 129

3. *Cordis ſui mœrores, & anguſtias divinæ Genitrici enarrat, ut ipſa luctum in gaudium convertat.* 131

DIE XXIV.

1. *Tamquam egenus & pauper ante Chriſtum procumbens, ejus gratiam poſtulat, & clementiam implorat.* 133

2. *Chriſtum rogat, ut in animam ſuam ingrediatur.* 134

3. *A Chriſto Redemptore, & Sanctiſſima ejus Matre divinum petit amorem.* 137

DIE XXV.

1. *Se pudet cæleſtem offendiſſe Patrem, qui miſerando, & parcendo vincit hominum malitiam.* 138

2. *Abyſſus miſeriæ abyſſum invocat miſericordiæ.* 140

3. *Animæ ſuæ miſerias divinæ Matri enarrat, ut ejus concitet miſericordiam.* 142

DIE

DIE XXVI.

1. *Jeſum alloquitur propter ſcelera hominum vulneratum, & attritum.* Pag. 144
2. *A Chriſto trahi exoptat.* 145
3. *Multorum peccatorum ſibi conſcius, ſub Virginis Mariæ præſidium confugit.* 147

DIE XXVII.

1. *Deo dicit cum Propheta:* Miſerere mei, quoniam infirmus ſum. *Pſ. 6.* 149
2. *In nomine Jeſu ſpem omnem reponens, Jeſum humiliter invocat, quem ſuperbe provocavit.* 151
3. *Puriſſimam Jeſu Matrem invocat.* 153

DIE XXVIII.

1. *Præcipuas commemorat miſericordias Domini, quas in æternum cantabit.* 154
2. *Rogat pro amicis.* 157
3. *Orat pro inimicis.* 158

DIE XXIX.

1. *Cum pœnitente Davide confugit ad Patrem miſericordiarum, & Deum totius conſolationis.* 159
2. *Divinæ miſericordiæ dignis pœnitentiæ fructibus reſpondere exoptat.* 161
3. *Virginis Mariæ auxilium implorat.* 162

DIE XXX.

1. *Jeſu Chriſti divinitatem confitetur, amorem commendat, clementiam exorat.* 164
2. *Cupit diſſolvi, & eſſe cum Chriſto.* 165
3. *Actum elicit amoris.* 169

DIE

DIE XXXI.

1. *Filio prodigo ſe comparat, atque cum eo cæleſtis Patris clementiam implorat.* Pag. 170
2. *Sacrificat Deo hoſtiam laudis, & gratiarum actionis.* 173
3. *Ad beatiſſimam Virginem Mariam confugit, ut animæ conſequatur ſanitatem.* 175
Præparatio ad Miſſam pro opportunitate Sacerdotis facienda. 177
Gratiarum actio poſt Miſſam. 184

IMPRIMATUR.

F. Vincentius Maria Carràs Ord. Prædic., S. T. M. Vic. Gen. S. Off. Taurini.

V. Joſeph Tempia Coll. Theol. Præſes.

V. Se ne permette la ſtampa.

Di FERRERE per la Gran Cancelleria.

Opus, cui titulus - *Sacerdotis alloquia ad Deum, & Deiparam Virginem ex Patribus excerpta, ac in ſingulos menſis dies diſtributa* -- ab A. R. P. Fulgentio Maria Riccardi Taurinenſi Provinciæ Obſerv. S. Thomæ Lectore jubilato compoſitum, de mandato Reverendiſſimi Patris Paſchalis de Variſio totius Ordinis Sancti Patris Franciſci Miniſtri Generalis, qua licuit diligentia perluſtravimus; cumque illud nedum nihil omnino contra fidem, bonoſque mores continere, ſed ad ſpiritum pietatis in Sacerdotibus excitandum, fovendumque apprime accommodatum invenerimus, Typis dignum judicamus.

Dat. Taurini ex Cœnobio S. Thomæ Apoſt. die 1. Junii an. 1779.

Frater Paulus Dominicus Cebranus a Taurino Lector Theol.

Frater Gratianus Banchius a Moretta Sacræ Theologiæ Lector Generalis.

FR. PASCHALIS A VARISIO

LECTOR EMERITUS

Catholicæ Majeſtatis in Regali Matritenſi Congreſſu pro Immaculata Virginis Conceptione Theologus, ac totius Ordinis S. P. N. Franciſci Miniſter Generalis, Commiſſarius, Viſitator Apoſtolicus, & in Domino Servus.

CUm Opus, cui titulus -- *Sacerdotis alloquia ad Deum, & Deiparam Virginem ex Patribus excerpta, ac in ſingulos menſis dies diſtributa* -- a R. P. Fulgentio Maria a Taurino Noſtræ Obſervantis Provinciæ S. Thomæ Apoſtoli Lectore jubilato compoſitum, a duobus PP. Theologis de Ordine Noſtro, quibus id commiſimus, reviſum, & approbatum fuerit, vigore præſentium facultatem eidem concedimus, quatenus ſervatis ſervandis, illud typis mandare poſſit.

Dat. Romæ ex Aracæli die 25. Junii 1779.

FR. PASCHALIS A VARISIO
Miniſter Generalis.

De mand. Rmi in Chr. Patris
Fr. Antonius Seraphinus a Foſdenovo
Pro-Secr. Gen. Ordinis.

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE

S9 912833

op

Digitized by Google